2

THEOLOGORVM

PARISIENSIVM

AD ILL^MI LEGATI PLACENTINI POSTVLATA, SVPER Propoſitione in libello quodam factionis Nauarrenæ contenta,

RESPONSVM.

Quo dictæ Propoſitionis cenſura continetur.

Cum eiuſdem cenſuræ aſſertione ac probatione.

PARISIIS,

Apud Rolinum THIERRY, via Iacobæa, ſub ſigno Lilij albi.

M. D. XCIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGORVM PARISIENSIVM

AD ILL^MI LEGATI PLAcentini poſtulata, ſuper Propoſitione in libello quodam factionis Nauarrenæ contenta,

RESPONSVM.

Quo dictæ Propoſitionis cenſura continetur.

Cum eiuſdem cenſuræ aſſertione ac probatione.

ANNO Domini cIↄ. Iↄ. nonageſimo tertio, ad tertium Calendas Febr. cum indicta Lutetiæ Pariſiorũ per ſereniſſimum Ducem Meduannm Galliæ gubernatorem ac Proregem, totius Regni Comitia eſſent, ſuper eligẽdo Chriſtianiſſimo Rege, ac promulgato primùm per eundem ſereniſſimum Ducem, ſicuti decentiſſimũ erat, publico diplomate, quo Principes, Prælati, Nobiles, & quotquot aduerſæ

Digitized by Google

factionis erãt, ad mentem redire, ſaniora conſilia ſequi, ac relicto tandem hæretico iuratóque Eccleſiæ & Patriæ hoſte, ab vtriuſque oppreſſione deſiſtere, & cõmunibus votis ad Regis verè Chriſtianiſſimi electionẽ concurrere monebantur, aperta eadem Comitia forent, libellus ab eiuſdẽ factionis viris Carnuti, ſicuti illic narrabatur, (nam rumor poſtea venit quicquid iſtud fabulæ eſt à Nauarro & hæreticis fictum eſſe) ex ipſius Nauarri licentia cõgregatis, certè ipſius Nauarri ſecretarij manu REVOL ſubſignatus, & ad dictum diploma reſponſiuus, ad ipſum ſereniſſimum Ducem alióſque eiuſdem familiæ Principes, Prælatóſque ac Dominos ac cæteros cuiuſcunq; ordinis qui Lutetiæ conuenerant per præconem allatus eſt, quo ſe ipſi paratos ad mutuum cum noſtris colloquium extra vrbem habendum offerebant, in quo de pacis incundæ conſiliis vltro citróq; tractaretur. Quod & ipſi fieri poſtulabant, ſub proteſtatione, quòd ni id fieret totius mali faba in Catholicæ vnionis viros cuderetur, ſed ita tamẽ vt contempto dicti Ducis Meduani diplomate, ſe à ſuo Rege (id eſt Nauarro hæretico & relapſo) diſcede-

re nolle ſignificarent, de quo inter cætera verba ita loquebantur.

L E S *Princes, Prelats, Seigneurs, & Eſtats Catholiques qui recognoiſſent le Roy que Dieu leur a dõné, & luy ſont ſeruice comme ils ſont naturellement obligez:* Hoc eſt.

P R I N C I P E S, *Prælati, Domini ac Proceres Catholici, qui Regem agnoſcunt, quem Deus eis dedit, & ei inſeruiunt prout naturaliter obligantur.*

A D quæ verba præſens Illuſtriſſimus Legatus Placentinus, cum protinus hæretica inclamaſſet, & vt impia execratus de ea re amplius inquiri, ſeu vero ſeu ficto nomine editum ſcriptum foret, è Repub. eſſe iudicaſſet, maximè quòd eius diſſeminata paſſim exemplaria eſſent, quæ infirmioribus cuiuſcunque ordinis Catholicis ſcandalum crearẽt, cui malo hac via occurri neceſſe eſſet, vt de ſentẽtiæ huius impietate conſtaret, quod in ea re fieri ſolet, vt de ijs quæ ad fidẽ ſpectant Theologi conſulantur, vocatis propterea aliquot ex eorum numero, iiſdem vt ſuper ea re Facultas cõueniret, Propoſitionem examinaret, ac cenſura ſua notaret, negotium dedit. Quod cum illi vt imperatum erat, feciſſent, vocatíſque primùm

de more ſelectis viris ſeu deputatis, mox generali conuentu in Sorbonæ collegio habito, rem examinaſſent, matura deliberatione facta in hanc ſententiam pronunciatum eſt.

PROPOSITIONEM *illam cõtextu ſuo primùm falſam & abſurdã, tum quia affirmat hæretico & relapſo & nominatim excommunicato ius ad Regnum, atque adeo Chriſtianiſſimũ, ídque à Deo eſſe, atque exhibitã ipſi ſeruitutem probat, planè hæreticam, blaſphemã, ſchiſmaticam, inſuper & perduellionis plenam eſſe.*

QVOD ne perperam ac ſine ratione factum videri poſſet, in re præſertim tam ſeria, quæque totius Catholicorum cauſæ, támque diuturni ac funeſti in Gallia belli caput tangit, cùm propterea idem Illuſtriſſimus Legatus quibus rationum momentis adducti patres Theologi ita cẽſuiſſent ſcripto edi daríque flagitaſſet, tametſi id anceps initio erat, tum quod nec moris ſit Facultati, quibus de cauſis quidque ſentiat ac pronunciet ſcripto verbóve exponere, tùm quòd res ipſa clarior videbatur, quàm vt vlla ad id ſcriptione opus eſſet, parendum tamen ſibi in re tanti negotij, & Apoſtolici Legati

dignitati, & temporis neceſſitati rata, in tãta præſertim hominum, *lucem tenebras, & tenebras lucem*, vt apud Prophetam eſt, dicentium, peruicacia; id per vnũ de ſuis, qui ea quę à ſingulis dicta erãt colligeret, & in corpus vnum redigeret, fieri annuit, editúmque ſcriptum legit, cẽſuit ac probauit. *Eſa. 5.*

CENSVRÆ PROBATIO.

AC SANE` antequam mandato paretur, vt cenſuræ huius ratio Illuſtriſſimo Legato iuxta præſcriptum reddatur, præfari viſum eſt initio, verbóque admonere, ne putent quotquot in caſtris hæretici agũt, & ab eius partibus ſtãt Catholici aut qui tali nomine cẽſeri volũt, quòd propoſita ſub Catholicorum nomine verba expẽduntur, ac veritati teſtimonium vt decet perhibetur, odioſè propterea ſecum aut acerbè agi. Quos vt lugendum eſt *in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis eſſe*, ſicuti ad Simonem D. Petrus ait, ita ne eos exulcerandi lædendíve cauſa hæc dicantur duo ſunt quæ prohibeãt. Primùm *Act. 8.*

1.Cor.13. vinculum charitatis,quę vt *omnia ſuſtinet,* ſic *omnia ſperat*, & quæ de iis propterea quantumuis repugnantibus expectatio, imo fore *de ijs qui ſe dicunt Iudæos & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Sathanæ*, vt ad eos *qui verbũ patientiæ Dei ſeruauerunt*, redeāt, Apoc.3. *& ante pedes eorum adorēt*, inſignis ab omnipotente Deo in ſcriptura promiſſio eſt. Alterum & quidem multo magis, quòd vt nihil à Catholicis verbis iſtis dici potuit languidius, ita longè ab eo ſumus vt à Catholicis aut qui Catholico nomine cēſeri poſſint,ſcripta hęc eſſe arbitremur. Quippe quæ præter quam quòd Catholici neque micam neque pilum habent, tum ex tribus quę in ſcripto illo proxima ſunt, veriſſimilem illum de ficta ab hæreticis fabula rumorem eſſe probent. Primùm quidem quòd cum hæreticum ſe Regem agnoſcere aiunt, tum addũt, *ſcopum ſe cum iſto officio habere principalem, vt Catholicam religionem ſeruent*. Quod perinde eſt ac ſi pullorum miluo, columbarũ accipitri, aut vt verius dicatur ſanitatis peſti cuſtodiam mandes. Apertiórque omnino hæc rima eſt, quàm vt lupum matrem ſe fingentem, & cum pellem nequeat vocem mutantem & aperiri ſibi

blandiendo

blandiendo láeque promittendo poſtu-
lantẽ domi incluſus agnus non videat, vt
clauſum ſe retinẽs nec ſibi aperire tutum,
nec ſe tali nutricio egere reſpõdeat. Alte-
rũ eſt præpoſtera Politicorũ Theologia,
quòd euerſo vt dicũt ſtatu *ruiturã certa ac
minimè dubia conſequentia religionem* aiunt,
imò *primum ſtatus periculum, religionis verò
ſecundum diſertè ponunt*, quaſi ſtatum reli-
gionis baſim conſtituere primámque ſta-
tus curam, & ab eo pendere religionem
dicere velle videantur. Cum inuerſo pe- *Matth. 6.*
nitus ordine, regnum Dei quæ religio eſt
primum peti, cui cætera adiicienda ſint,
Chriſti vox præcipiat, regníque baſim
religionem eſſe, non verò contra Catho-
lica fide teneatur. Nõ enim ſi euerſa fuit
à Nabuchodonoſore Hieroſolyma, inſi-
gníq; clade affectum regnum Iuda, cum
in Babylonem tranſlatum eſt, propterea
religio periit, quæ vel inter medios infi-
deles ſcriptura teſte incolumis manſit.
Deo videlicet Angelum ſuũ populo pro- *Baruch. 6.*
mittente, & ſe adorari vel inter idolola-
trarum choros præcipiente. Imo quia
ſeruata religio eſt, quod cæſo ſerpente ca-
pitis incolumitas, & peſte affecto corpo-
re ſanitas cordis præſtat, vt vita vtrique

ſeruetur, idem & ipſa deiectæ alioqui ac proſtratæ Reipub. contulit, vt inſtaurato templo eadem reuiuiſceret, ac priſtino
1. Eſd. 6. ſplendori aliquando redderetur. Vt contra eiurato ſemel à Iudæis Chriſto, ſimul cum amiſſa religione eorum euerſum regnum nec poſtea reſtituendum eſt. Vſq; adeò in religione fundatum populi Dei regnum, non contra in regno fundata religio eſt, vt motu religionis concuti regnum, non contra regni motu concuti religionem neceſſe ſit: primúmque adeo religionis periculum, ſecundũ verò Reipub. poni debeat. Poſtremum eſt quòd præ Anglis nominis Gallici ab antiquo æmulis veréque hoſtibus, & ijs quidem inſuper hæreticis, quos ipſi in penetralia regni acciuerunt, Hiſpanos Catholicos & Catholicæ fidei vindices ac præterea nobis amicos affinitatéq; & fœdere iunctos, quorũ opem ſub Carolo 9. nuper, ac nouiſſimè ſub Hẽrico 3. cõtra iſtũ quem regem vocãt experti ſumus, & adhuc experimur, regni hoſtes hæreticũ penitus in moré audent nominare. Prorſus vt cum nihil hîc Catholicum præter nomen videre aut audire liceat, nihil quoque ſit quod excandeſcere qui Catholici ſunt

cenſura iſta, vel iſto ad eam ſcripto debeant, cùm in eo agatur aliud nihil, quàm vt Catholico nomine velata impietas impugnetur, & diſcuſſa erroris in eo quod cauſæ caput eſt caligine, ad ſaniora cõſilia qui mentem adhuc & Deum habent reuocentur. Quódque fieri in re omni neceſſe eſt, omnipotentis Dei gloriæ ac ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ dignitati in eo ſeruiatur.

Ergo quod ad cenſuram ſpectat, quòd bipartita illa eſt, nempe *vt contextu ſuo, ſiue vt iacet falſam primùm & abſurdam, deinde hæreticam, &c. Propoſitionem illam eſſe* pronunciet, duplex Propoſitionis ipſius ſenſus fecit. Quia quòd ſe naturaliter ad ſeruiendum regi hæretico obligatos dicunt, vel abſolutè ac ſimpliciter intelligendum eſt, quaſi illum natura ſeu naturæ iure regem eſſe velint, vt natura propterea hunc agnoſci regem eíque ſeruiri iubeat: vel connexè & compoſitè, vt quem pro legitimo rege habeant, quocunque tandem id iure ſit, ei naturaliter id eſt ſecundũ rectam rationem, & quòd id Regis natura exigat, ſiue de Regis natura ſit, ſeruiatur. Quorum ſenſuum hoc diſcrimen eſt, quòd vt in priore à natura

Duplex propoſitionis ſenſus.

ius regni in Nauarro, ita in poſteriore à iure regni, naturalis quæ ei deberi prætẽditur ſeruitus, arceſſatur: ſiue vt illîc natura regię in Nauarro dignitatis, hîc verò regia dignitas naturalis obſequij quod eidem debeatur, fons ac principium dicatur. Quorum vt illud craſſius & pinguius, hoc ſubtilius ac politius (tametſi illos in vtrumque impegiſſe, imo etiam confudiſſe veriſſimile eſt) propterea vt in illo falſitatem & abſurditatem notare ſatis fuit, ita in hoc hæreſim etiam & reliqua neceſſe fuit obſeruare. Sed vt in priore leuius velitatum, ita in poſteriore accuratius inſiſtendum fuit.

Quòd falſa. Ac falſa quidem abſurdáque priore ſenſu dicta Propoſitio eſt, quòd cum per ſe ſupinum ſimplicitérque falſum eſt Regem omnino ſeu natura ſeu naturæ iure eſſe dicere, tum intolerabilis abſurditas eſt, eum qui ſit hæreticus tali iure niti, aut ei ſe natura ſeruos eſſe profiteri. Quæ duo etſi plana apertáque, tantò magis expendi notaríque par eſt, quantò frequentiores in hanc ſententiam multorum de factione Nauarrena gratioſiſſimè loquentiũ garritus ac ſuſurros ſerpere audimus, qui tum ſibi ſapere bellíque ac pulchri vi-

dentur, cum *Regem nobis natum*, nec a-lium eligẽdum eſſe ineptè inſulſéque dicunt, probabiléque rurſum reddunt hoc quicquid eſt non à Catholicis ſed ab hæreticis, quibus vt dicitur lac ipſi ebulliunt & placentia dicunt, ſcriptum eſſe.

FALSVM porro prius illud ac ſupinum eſt, tũ quia naturæ cõditioni pugnat, tum quia Chriſto in eo iniuria & contumelia fiat. Ac de natura quidem plana omnino ratio eſt, quia cũ id Natura eſſe dicẽdum ſit, quod ingenitum cuique, ab eóque inſeparabile eſt, ac propterea vbiq; & ſemper idem, cuiuſmodi eſt lapidi deorſum, igni ſurſum ferri, animali vigilia atque ſomnus, ſicuti & ius naturæ eſt quod vbique & ſemper idem, quale eſt ne quis alteri id faciat quod ſibi fieri nolit, amor parentum ac filiorum, prouidere quę ſibi vtilia, declinare nocitura, vim vi repellere, & ſimilia, quam longè ab eo Regia dignitas abſit docent tam multæ nationes quæ ea caruerunt, & carent adhuc, ſiue quæ Ariſtocratia ſiue quæ Democratia delectantur. Neque id quidem iniuria, quia cũ natura æquales omnes liberóſq; gignat (vt vel inter Iureconſultos cõſtat, & ab Innoc. 3. & B. Ambroſio notatum

Reges natura non ſunt.

Lib.1.Inſt. De vilitate cōditionis humanæ cap.15. In 5. ad Eph.

eſt) neque aliud quàm paternum imperium norit, tum non aliunde quam è iure gentium quicquid præter illud ſeu regiæ ſeu multorum poteſtatis eſt deſumptum ſit, cum multi vitæ commodioris cauſa in id conſenſerint, vt vel vnus, vel pauci ſapientes & optimates, vel de populo nō-nulli, iíque ſubinde mutandi Rempub. gerant, atque iis prout cuique expedire viſum eſt, varias ipſi leges figant ac refigant. Nam nec aliter quàm iure gentium conſtare Regem Iſraëlitæ docent cum dicunt. *Et nos Regem habebimus ſicuti habēt reliquæ per circuitum nationes.* Principatu

1.Regū 8.

vtique iſto minimè tandiù cărituri, qui populus Dei erant, & vbi præ cæteris naturæ legem vigere par erat, ſi à natura regia dignitas eſſet. Neque verò ſi tales natura eſſent, opus foret à Deo, ab Eccleſia, à populo fieri reges. Neque id eſſet quod à Deo electi Saül atque Dauid, quódque à ſacerdotibus, (vt ait Ambroſius) *Imperia dantur non vſurpantur*. Et quod toties in ſcriptura reges, Dauid ipſe, Salomon,

1.Reg.16. 3.Reg.1. 3.Reg.12. 2.Par.14. 2.Par.22. 2.Par.23.

Roboam, Azarias, Ioas, Ochozias, & alij à populo conſtituti dicuntur. Notáque omnino regiæ poteſtatis origo eſt, vt ea à violento dominatu hominum publicæ

quieti imminentium inceperit, qualis Caïn ad Libani radices primùm, & poſt diluuium Nemroth, robuſtus propterea coram Deo venator dictus extiterunt. *Geneſ.10.* Vtque non aliter in regnũ homines conſenſerint, quàm quod iſto regimine paulatim aſſueti, multa eo cõcurrere vtiliſſima ſuóque ingenio aptiſſima & publicæ paci commodiſſima peruiderunt. Sed vt nulla inde generalis lex, quæ omnes obligaret, duceretur, cum alij alio vt dictum eſt gubernationis genere populi delectẽtur. Vnde & illud in ſcriptura frequens, quòd regnum Cornu vocatur, quia vt ex carne cornu ipſa quidem poſterius & ſuperius eſt (vt ait Auguſt.) ídq; ad pugnãdum natum, ita in eo regni tum violẽtia ac robur, tum quæ ex hominibus, & ipſis poſterior origo, erectáque ſuper cæteros dignitas eſt indicatur. *In pſal.97* Quamquam tamẽ vel natura iudice, optima omnium regia gubernatio eſt, quámque nos vt noſtris vſibus aptiorem ac moribus congruentiorem, omníque propterea inter nos ratione ſeruandam agnoſcimus, ita ne diſſipetur, aut quod peius eſt, tyrannidè polluatur atque corrumpatur, & meritò formidamus, & omnibus omnium ſtudiis

occurrendum prædicamus. Sed vt eam tamen non aliter quàm gentium iure cõſilióque hominũ, ſed Deo certè magnis ſignis approbante, & vt alibi Ariſtocratię ſic in Gallia Monarchiæ autorem ſe præbente, & quod homines ſecundum rectã rationem in re ciuili hoc vel illo modo conſenſu ſuo ſuper terram ligauerint etiã in cœlo ligante, ad ídque conſcientias (vt
Rom. 13. ait D. Paulus) obligante inter nos coaluiſſe defendamus.

Solus Chriſtus Rex natura. CONTVMELIOSVM verò id Chriſto eſt, cum alteri tribuitur quod ei peculiare ac ſoli eſt, vt rex natura ſit, eíque natura vt regi ſimul ac Domino ſeruitus debeatur. Quippe de quo ſolo dici potuit,
Matth. 2. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Et apud
Eſa. 9. Prophetam. *Paruulus nobis natus eſt, cuius imperium ſuper humerum eius.* Imò & id
2. *de Diuin. Suet. in Auguſto.* Sybillæ vel teſte Cicerone & Suetonio, agnouerunt. *Naturam parturire Regem Romanis, cui ſit ſeruiendum ſi ſalui eſſe velimus.*
1. *Cor.* 3. Húcque illud ſpectat quod ait Apoſtolus. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Vt inde conſtet ſolum Chriſtum eſſe cui naturalis ab omnibus ſeruitus debeatur, cui dedit pater *gentes*
Pſal. 2. *hæreditatem ſuam & poſſeſsionem eius termi-*

nos terræ quémque *conſtituit hæredem vniuerſorum*, ſolúmque adeò eum naſci regẽ, cæteros fieri & quidem vi legum à populis poſitarum reges. Quamobrem nec ſe reges Chriſtiani aliter quàm per gratiam Dei vocant, quòd penes Chriſtum ſolum ſit regni proprietas, qui & propterea rex dicitur naturalis. Ne exceptis quidem Francorum regibus, quantumuis id illis (quod perperam quidam obiiciunt) cum Perſarũ regibus ſimile eſſe magnus Gregorius dicat, vt *ex genere prodeant, maioréſque alius ex ſeruili conditione naſcantur*. Aliud enim eſt ad id quod futurus es naſci, qui ſenſus eſt Gregorij cõtra Genethliacos, aliud id tibi natura proprium aut naturæ iure debitum eſſe. Nam & magni ſæpe prædones ad ingentes diuitias nati ſunt, quæ non tamen eis natura debebãtur. Nec ſi aut Cyrus, aut Alexander, aut Cæſar rerum potiti, ad magna imperia, vel indicantibus prodigiis nati dici poſſunt, propterea hæc illis naturæ iure obtigiſſe dicendum eſt. Niſi & naturale iis dicimus, vt primus in prælio per manum fœminæ, veneno alter, poſtremus ferro in Curia, togatúſque necaretur. Non enim minus ad hæc fata, quàm ad res ma-

Heb. 1.

Hom. 10.

gnas nati erant. Quia nõ propterea quòd nati ſunt, hoc vel illud fuerunt, ſed quia tales futuri erant, vſus loquendi obtinuit vt ad ea nati dicerentur. Nec refert induſtriáne quis ad res magnas, an natalium ſorte perueniat. Par enim vtrobiq; conditio, vt fortuitum iſtud non naturale eſſe dicatur. Craſſiórque omnino hæc in verbo naſcendi homonymia, ſeu potius natalium cum natura confuſio, quàm vt à ſapientibus & acutis hominibus magni fieri, aut faceſſere nobis negotium poſſit. Sanè de Chriſto vt ſolus Rex natura ſit, planũ eſt illud Ioãnis VIII. Pontif. Max. qui Carolum Caluum vnxit, de eadem vnctione in Synodo Epiſcoporũ Romæ, Anno 876. *Vngimus eum*, inquit, *oleo extrinſecus, vt interiorem quoque Spiritus ſancti monſtremus virtutem, qua vnxit eum Dominus Deus ſuus præ conſortibus ſuis, ad imitationem veri Regis Chriſti, ita vt quod ipſe poſſidet per naturam, iſte conſequatur per gratiam.* Vnde conſtat quàm abuſiuum iſtud *naturaliter*, atque iſta naturalis ſeruitus ſit. Niſi forte iſtud *naturaliter* Ethnicũ planè aliquid & corruptæ naturæ vitium arguit, quæ ad idololatriam procliuis eſt, vt quem ſibi illa principem effinxerit, hunc

In 12. coet. Pith.

mentis errore Dei inſtar ſupra ius & hu-
manam ſortem, cum inſigni Chriſti iniu-
ria ac contumelia, veneretur: & quod
horrendũ eſt non auditu tantum, verùm
etiã cogitatu, libidini Regis magis, quàm
Dei voluntati obſequatur.

HÆRETICO verò Regi naturaliter *Quòd ab-*
ad ſeruiendum obligatos eſſe, tanto eſt *ſurda.*
abſurdius, quanto longius ab eo natura
omnis abhorret, neque vllus eſt qui ei fa-
ueat ſeu proprius ſeu improprius naturæ
ſenſus.

NON proprius, cum is ſit hȩreticus, in 1.
quo omnia naturæ iura ceſsãt, vt qui me-
ritò ab omnibus execratus, non igne, nõ
aqua, non cœlo, non tecto, non denique
ſpiritu dignus ſit. Et vt apud Homerum
eſt, ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος, hoc eſt ſine *Iliad. ι.*
tribu, ſine lege, ſine foco, ab hominúmq;
ſocietate, vita, vſu penitus exciſus & era-
ſus ſit iudicandus. Adde quòd venenũ 2.
omne natura refugit, neque verò peſti-
lentius vllum venenum hæretico princi-
pe eſt, quippe qui non ſenſim, ſed confer-
tim cor Reip. quod Religio eſt, recta pe-
tit. Sed & nota illa eſt vbique gentium 3.
ac rerum naturæ lex, vt ſe quiſque vitám-
que ac corpus tueatur, declinétque quæ

nocitura ſunt. Quod & in inanimatis igne aqua videre eſt, vt quia ille ſurſum, hæc deorſum ad naturalem ſibi locũ tendit, propterea quæ motui illi impedimẽto ſunt ab vtroque fugiantur. Et in animantibus ſub rerum quas fugiunt diſcrimine, id perpetuò idem eſt, in eóque cõſentiunt, vt quæ ipſis noxia ſunt auerſentur. Quod ſi nihil tam naturale cuiq; eſt, quàm propria ſalus, nec tam inimicum, quàm quod inde auertit, quale impedimẽtum hæretico principe maius nullum eſſe poteſt, propter quod nec tanta lupis & agnis, quàm hęretico & Catholico diſcordia eſt, id quoque ſequitur, vt quiſq; Chriſtianiſſimus eſt, ita hæreticum maximè deteſtari, nõ verò ei obligari oportere.
4. Accedit naturæ inimica monſtroſi corporis effigies, ſi humano id eſt Catholico corpori hæreticum hoc eſt Draconis caput (nam draco eſt omnis hæreticus Princeps, & hic ſe draconum Principem ſolet gloriari) turpiter affingatur.

Sed vt hæc de proprio naturæ ſenſu ſeu intelligẽtia dicta ſint, nec qui improprius eſt hoc eſt conſuetudo, quæ altera natura dicitur, & ius gẽtium ſeu regni eſt, hîc locum habet. Non enim fauere hæ-

retico conſuetudo ſeu ius gentium in regno Chriſtiano poteſt, cum ex quo Chriſti gratia inuecta eſt, tum quicquid iuris ſeu naturæ, ſeu gentium eſt, gratiæ ſubiiciatur atque cedat, illud vt perficiatur, hoc vt emẽdetur, ac quicquid ibi gratiæ, hoc eſt æternæ ſaluti ac Chriſti regno cõtrariũ eſt, deſtruatur. Quod indicat Nabuchodonoſoris ſtatua, quã lapillus, qui Chriſtus eſt, euertit, vt quicquid pro Chriſto nõ eſt, nec cum eo colligit, concidiſſe iſto facto declaretur. Nam & ſi ius naturæ ſuperexaltat pietas, vt patrẽ vxorem & filios quis relinquat propter Chriſtum, quãtò magis gratiæ, quicquid iuris gentium ac conſuetudinis humanæ eſt, cedere neceſſe eſt? Sed & notum eſt illud *Gens & regnum quod non ſeruierit tibi peribit*, & quod ait Chriſtus, *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras*. Quod de fundando regno Chriſti per deſtructionem regni iuriſque gentium, id eſt eorum quę in regno iuréque gentium à libidine hominum & contra Chriſtum ſunt, intelligendum eſt. Ne quis amplius ius gentiũ in gratiam hęretici, aut cuiuſcunque infidelis, Eccleſiæ libertati, ac ſecuritati religionis audeat opponere. Neque verò

Dan. 2.
Matth. 19.
Luc. 14.
Eſa. 60.
Ioh. 12.

alia hæretici quàm Ethnici, ni profectò peior conditio, vt cum ille ad regnum Principis huius mundi pertineat, concidere cum Ethnica impietate quicquid regni hæretici eſt oporteat. Ex quo fit, vt cum ius gentium ſeu cõſuetudinem nullam niſi pietatis terminis finitam obtendere valeamus, tũ verò id meritò iis, qui hæreticum ad regnum vocant, dicere de-
1. Cor. 11. beamus: *Nos talem conſuetudinem non habemus neque Eccleſia Dei.* Imo ſi conſuetudo altera natura eſt, tam nobis abũdè eſt, vnde hæreticum naturaliter execremur, quàm hæretici principatus inſolentes & fuimus hactenus, & pro Chriſtianiſſimi nominis gloria eſſe obligamur.

Neqve verò hîc audiendi qui ius ſucceſſionis vrgent, cùm præter quàm quòd ius iſtud, vt dictũ eſt, gratiæ cedit, tũ falſi crimẽ incurrant, qui dimidiatũ ac truncũ ius propterea proferunt, quòd integro eo damnari ſe premíque videant. Quippe qui in ſucceſſionis inculcando iure proximitatis meminerint, de habilitate tacuerint, cum vtrumque more noſtro ius iſtud contineat. Tantò magis ridiculi, quòd inter cauſas cur quis ſit legitimus, ab ea quæ omnium viliſſima eſt denomi-

nationem faciant, eámque ſolam proferre non vereantur. Nota ſunt quippe verba legis: *Mortuus*, inquit illa, *viuum excipit, propinquiorem & ad ſuccedendum habilem*. Non enim omitti id potuit, quod mens ipſa iuris rectáque ratio neceſſariò voluit. *Omnis quippe diſpoſitio* (inquiunt Iuriſperiti) *quantumcunque generalis, recipit limitationem de habili & idoneo*. At inhabilitatem maiorẽ, quàm quæ eſt ex hæreſi, neque Eccleſia, neque Chriſtianiſſimum regnum agnoſcere poteſt. Aliud enim nihil agunt, qui tam leuiter hæreſeos crimen pertranſeunt, quàm vt non modò morionem, bardúmque & ſtultũ, ſed vel Sarracenum ac Iudæum, ſi genere proximus ſit, in Regem ſint admiſſuri. Et nos vt de proximitate taceamus, toti in inhabilitatis prǫiudicio ſumus: tam attenti ad ſpiritum, quàm hi toti in carne ſunt, támque certi, vel authore Chriſto, hæreticũ ex patre Diabolo eſſe, nec alterius quàm *Ioan. 8.* Diaboli hæreditatis ac ſupplicij talibus debiti capacem eſſe, quàm illi fruſtra ex Abrahæ, hoc eſt ſancti Ludouici ſtirpe, regnóq; propterea dignum eſſe gloriantur. Quamquam nec ipſi in proximitatis cauſa ſtare poſſunt, quia quem proximũ

eſſe norũt Carolum Borbonium Cardinalẽ, & ex regio genere haud dubiè procreatum, præ iſto, qui natu poſterior eſt, neglexerunt, imò huius ſtudio perire in carcere ſuſtinuerunt. Tam fruſtra de reliquo maiorum noſtrorum placita & exempla in hæretici gratiã prolaturi, quàm verum eſt illos aliud nullum nobis in hæretici cauſa, quàm execrandi, cædendi, perdendi, funditus delendi, ac de terra memoriam eius eradendi exemplũ præbuiſſe.

Pars altera de hæreſi, blaſphemia, ſchiſmate, ac perduellione.

SED vt hæc in craſſiore illo & pinguiore ſenſu, de falſitatis & abſurditatis cauſa leuius dicta ſint, ſequitur in ſubtiliore, qui hæreſim, qui blaſphemiam, qui ſchiſma cõtinet, & perduellionis reos agit, attentiùs vt dicatur. Nam vt detur ei qui ſit legitimus Rex, nos naturaliter obligari, quòd id tum natura & conditio Regis, tũ recta ratio, quæ aliud nihil quàm natura eſt, exigat: addimus etiam, ſi ſors ea hæretici ſit, vt legitimus Rex eſſe poſſit, nihílq; prohibeat, quin ei ius ad regnum concedatur, nihilo ſecius ei atque Catholico, imo Chriſtianiſſimo naturaliter obligatos eſſe (qualiter ſcilicet & connexum id totum concedimus, *ſi lapis eſt animal, lapis*

pis ſentit, quod diuiſim tamẽ vtraque ſui parte falſum eſſe conſtat) tum verò nos, quia in eo tota quæſtio eſt, quòd diuiſim iſtud enunciant, hoc eſt hæreticum & relapſum ius ad regnum, ídque Chriſtianiſſimum, & id quidem nõ qualecũque, ſed à Deo habere planè apertéque aiũt, qualiter aliquis diceret non iam connexè & hypotheticè, ſed ſimpliciter & categoricè, *lapis eſt animal*, *ac propterea ſentit* (ſic enim de eo quem hæreticum & relapſum eſſe palam eſt loquuntur, *Regem agnoſcimus quem Deus dedit nobis*, *eique ſeruimus prout naturaliter obligati ſumus* : obligationem ſcilicet ſeruitutis eò referentes, quòd ius eum ad regnũ Chriſtianiſſimum, ídque à Deo habere putent affirméntque) propterea id ſupereſt vt quia iſtud planè hæreticum, blaſphemũ, ſchiſmaticum ac perduellionis plenum eſt, id ſuis argumentis cõfirmetur. Quod & tantò diligentius præſtandũ eſt, quantò id pertinacius atque intolerabilius fundamentum eſt, non perniciosiſſimi tãtum ſcripti aut iudicij, ſed etiam belli funeſtiſſimi ac crudeliſſimi, quod ſacra, quod profana ſúſque déque vertit, quod nos noſtráque, quod patriã, quod leges, quod

iura omnia, & quod luctuoſiſſimum eſt Religionem tandudum vaſtat, perdit atque exhaurit, quantóq; plus refert vtrius partis vitio tam funeſti mali cauſa accepta ferenda ſit intelligi, cauerique ne vana ac planè meretricia totius querelæ in eam partem quę ſyncera eſt tranſlatione, ſimplici plebeculæ tanquam fumi pulueríſque obiectu illudatur. Vt ſi nos in vitio ſumus, cauſa nulla ſit quin manus demus, veniámque deprecemur, oblatáſq; pacis conditiones vltrò amplectamur, ſin contra illi in principio errent, ad ſaniorẽ mentem pacíſque conſilia, toties dudum & nunc recèns oblata conuertantur. Et cùm certum ſit, quale eſt fundamentum tale eſſe quod ſuperſtruitur, & qualis eſt arbor tales & fructus iuxta Chriſti verbũ eſſe, ſi iſtorum ſeu ædificij fundamẽtum, ſeu arboris truncus, hæreſis, blaſphemia, ſchiſma manifeſtáque perduellio ſit, propterea hęc optima via ſit ac fortaſſe oblata diuinitus, qua de totius huius cauſæ ſtatu ac merito iudicetur.

Propoſitionis diſtributio.

Ac Propoſitionis huius quidem cum quatuor membra ſint, Primum quòd ius hæretico & relapſo & nominatim excõmunicato ad regnum Chriſtianum eſſe

dicunt: Secundum quòd ad regnũ Chriſtianiſſimũ: Tertium quòd à Deo: Quartum, quò d talem ſe actu agnoſcere eíque ſeruire dicunt, ac mentis errorem ad praxim redigunt, ſic iſtius in eo cenſuræ ratio Illuſtriſſimo Legato redditur, vt in primis duobus hęreſim, in tertio blaſphemiam, in poſtremo ſchiſma perduellionémque eſſe affirmetur.

ATQVE id quidem quod primũ eſt, *Ius hæretico & relapſo & nominatim excommunicato ad regnum Chriſtianum eſſe*, propterea hæreſim eſſe dictum eſt, quia contra ſcripturam ac verbũ Dei, contra ſymbolum ac doctrinam fidei, contra decalogum ac doctrinam morum, denique contra patrum doctrinam atque placita eſt. *Quòd hæretica.*

Ac contra ſcripturam quidẽ non vno loco eſt. Cuiuſmodi id primum eſt, quod in Deuteronomio ſcribitur: *Cum dixeris* 1.
conſtituam ſuper me Regem, eum conſtitues, quẽ Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrũ tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, niſi qui ſit frater tuus. Plana hîc enim hęretici à regno excluſio, ſiquidem per fratrem Catholicum, per ἀλλόφυλον ſiue alienigenam hæreticum & *Deut. 17.*

Lib. 1. pro S. Athanaſ. quemuis infidelem intelligi cùm ſancti Patres conſentiunt, atque inter cæteros Lucifer ad Conſtantium Arrianum, tum ipſa ſcripturæ analogia & ratio, ipſáque
1. Cor. 10. vox Apoſtoli, qui omnia in figuris olim contigiſſe ait, neque fratres alios quàm qui ſunt eiuſdem fidei toties vocat, teſtatur multo magis. Quin & quàm id attētè fieri debeat trina repetitio monet, cū dicitur, quòd ſit de numero fratrū, quòd non ſit alterius gentis, & quòd nō ſit niſi frater. Cuiuſmodi repetitio in ſcriptura myſticum aliquid & magna attentione dignum ſolet indicare.

2. ALTERVM eſt, quòd eodem loco *qui parere noluerit ſacerdotis imperio*, *ex de-*
Deut. 17. *creto iudicis mori* iubetur, ſicuti & alio loco ſtatim interfici præcipitur, qui ad
Deut. 13. Deos alienos ſequendum fratrem illexerit. Nam cum iſta de hæretico vera ſint, vt qui eodem loco vel peiore cum idolo-
In Ancorato. latra ſit, vt ex Epiphanio conſtat, apertiſſima illatio eſt nō permitti huic regnum, cui nec viuere conceſſum ſit. Multò verò magis, quòd nec à Regibus impiis de medio tollendis lex abſtinuit, cum propter impietatem Amazias, Rex alioqui
2. Par. 25. legitimus, & paulò antè orthodoxus pu-

blico conſilio occiſus ſit.

EODEM id ſpectat, *Gens & regnum quod non ſeruierit tibi peribit & gentes ſolitudine vaſtabuntur*: Non enim regnum ſeruire Eccleſię poteſt, in quo eſt Rex hęreticus. Quia vt in Rege regnum eſt, quia regni caput, ita hæreticus Eccleſiæ hoſtis eſt, nec ſeruire ei poteſt. 3. Eſa. 60.

ADDE quòd ſi cum Chananeis & infidelibus cõnubia diſtrictiſſimè prohibet Deus, multò magis hæretici Regis electio, quæ ciuile quoddam cõnubium eſt, & quidem cum hæretico ſcandali & periculi plenum prohibetur. 4. Deut. 7.

AMPLIVS ſcriptum eſt de Rege, *Regem honorificate, & cui honorem honorem, cui tributum tributum*. De hæretico autẽ ſcriptum eſt, *Ne aue ei dixeritis*. Conſentire autem iſta non poſſunt, ſi Rex hæreticus admittatur. 1. Pet. 2. Rom. 13. 2. Ioh.

SED & planum iſtud, *Nolite iugum ducere cum infidelibus, Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? aut quæ cõuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Et quod idẽ Apoſtolus vetat alibi, iudicari fideles apud infideles, quod ſub Rege hæretico neceſſario fieret. Et alia eiuſmodi. 2. Cor. 6. 1. Cor. 6.

CONTRA Symbolũ verò & doctrinã ſidei eſt, quia cõtra fidẽ de regno Chriſti, & fidẽ de Eccleſia in Symbolo contentã apertè pugnat. De regno Chriſti quidẽ, quia regnum Chriſto adimit, qui hæretico ius regni tribuit. Quod quale ſit hinc intelligitur. Fides quippe Chriſtiana Chriſtum Regem ſic agnoſcit, vt in eo ſolo regni proprietas reſideat, ſicuti & ſacerdotij, vt qui ſit Rex & Sacerdos in æternum, neque verò proprietas de ſubiecto in ſubiectum tranſeat ſine morte pręcedẽtis: propter quod & *plures olim ſacerdotes* fuiſſe, ait Apoſtolus, *idcirco quod morte prohiberẽtur permanere.* Ex quo ſequitur cũ par in eo ſit ratio ſacerdotij ac regni, quicquid in terra inter Chriſtianos Sacerdotum ac Regũ eſt, aliud nihil eſſe quàm Chriſti ſummi Regis & Sacerdotis vicarios. Nam nec alium ſe ſummus Põtifex & ſacerdos niſi Chriſti vicarium profitetur. Neque verò propterea deterior hodie ſacerdotum regúmve quàm olim cõditio, imo tantò melior, quantò ſub meliori capite & ſuper firmiori ſundamento, quod eſt Chriſtus, poſita eſt. Quod ſi ita eſt, id quoque conſequitur, vt qui Chriſto proprietatem regni adimit, regnum

Hebr. 7.

quoque ei adimere neceſſe ſit. Id autem manifeſtiſſimè facit, qui hæretico regni ius tribuit, quia cum aliter Rex eſſe non poſſit, quàm aut proprietate, aut vicaria functione (quandoquidem tertium nihil eſt) neque verò hęreticus Chriſti vicarius eſſe queat, id ſequitur ſi Rex ſit, aut ius regni habeat hæreticus, proprietate Regẽ eſſe, Chriſtúmque ſpoliare oportere. Vicarium enim Chriſti eſſe non poſſe palam eſt, tum quia hoſtis Chriſti eſt, videlicet membrum Diaboli, atque adeo Antichriſtus, tum quia in Chriſti verba non iurat, quod in vicario neceſſe eſt. Iurare quippe in verba Chriſti, eſt Catholicam fidem profiteri, & quidem in tribunali à Chriſto Rege conſtituto, quod eſt Romana Eccleſia. Quod ab hæretico non modo alienum eſt, verùm nec fieri poteſt.

Adde quod regnum Chriſti alligatum ſacerdotio per mutuam conſenſionem, ipſique adeo ſubiectum eſt. Quippe Chriſtus idem Rex & Sacerdos vtriuſq; poteſtatis (vt ait Cyprianus) officia ſic diſtinxit, vt amicè tamen coniungeret, inſtar ſpiritus & corporis, vt corpus videlicet ſpiritui ſubiectum ſit, legémque à ſa-

Deut. 17. cerdote, ſicuti ſcriptura ait, Rex accipiat, cui parere, nec ab ea ad dextram vel ad ſiniſtram declinare teneatur. At hæretici nulla cum ſacerdote conſenſio, nullum in eum obſequium obedientiáve eſſe poteſt.

Denique ad regnum Chriſti pertinet vt diabolus de ſolio deturbetur, omníſque poteſtas ſaluti contraria deſtruatur aut in ordinem redigatur. At ſub hęretico peior Diaboli quàm ſub Ethnico dominatio eſt, tantóq; nocentior, quantò ad fallendum, ſimilitudine religionis cum ſupremo imperio, efficacior atque potentior.

Sed & contra fidem de Eccleſia pars illa Propoſitionis eſt, quam ſanctam atq; Catholicam propterea inter alia credimus, quòd eius decreta firma & rata, atque adeo κυρίας δόξας vbiq; terrarum ac gentium, vt ſunt, ita eſſe fateamur. Scri-
Prou. 1. ptum eſt enim, *Audi fili mi diſciplinam*
Matth. 18. *patris tui, nec dimittas legem matris tuæ:* Et, *ſi quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus:* Et illud, *Quæcunque*
I. *alligaueritis ſuper terram, &c.* At propo-
Extra de hæret. ſitio illa multis modis Eccleſiæ decreta conuellit: Cuiuſmodi eſt illud quo in Concilio

Concilio Lateranenſi hæretici, eorúmq; fautores, infames, inteſtabiles, ad quæuis officia & conſilia inhabiles, hæreditatis incapaces, déque omni dignitate deiecti iudicantur. Item illud, quo in Romana 2.
Synodo à Greg. VII. excommunicatis omnis dignitas abrogatur, & ſubiecti ab eorum obedientia ſoluuntur, imo prohibentur. Et id quo inter notoria Ducis ac Regis impedimenta excõmunicatio publica, diuulgata perſecutio, & periurium recenſentur. Quæ tria conſtat vt in Hẽrico Borbonio ſimul concurrerint, cum ſingula ad eius excutiendum iugum ſatis eſſent. Ad hæc damnat Propoſitio hæc 3.
decreta Eccleſiæ de puniendis hæreticis, contra Donatiſtas primùm, deinde contra Ioannem Hus, poſtremò contra Lutherum lata. Nam qui hæretico non vitam tãtùm, ſed etiam dignitatem ſeruat, regnandíque ius eſſe ait, manifeſtè indicat, ſe ne hæreticos quidem corpore puniendos exiſtimare. Atq; hoc eſt in hęreſim, quę in omnibus iis quos diximus exploſa & dãnata eſt, incurrere. Amplius 4.
ſi ius eſt hæretico ad regnum, etiąm ad Epiſcopatum ius hæretico eſſe poteſt, par enim, vt dictum eſt, in vtroque iurandi in

15. Qu. 6. Nos Sanctorum.

De elect. & elect. pot.

verba Chriſti neceſſitas, cùm vterque ſit Chriſti vicarius. At hoc eſt decreta Eccleſiæ manifeſtè conuellere, quibus cautum, vt *Papa à fide deuius iudicetur*, hæretici Epiſcopi, quales Alexandriæ Dioſcorus, Timotheus, Cyrus Monothelita: Antiochię Paulus Samoſatenus, Porphyrius, Seuerus: Conſtantinopoli Macedonius, Neſtorius, Eutychius, Sergius, Pyrrhus & Conſtantinus Iconoclaſta fuerũt, de ſacris Diptychis eradũtur. Imo & quibus hæretici Principes (qualiter refert de Philippico Imperatore Paul⁹ Diaconus, & de Anaſtaſio Nicephorus) de ſacro codice ſeu Canone Miſſæ expũgũtur. Quin etiã & quibus Epiſcopi, qui ſuper expurgãdo de ſuis diœceſibus hæreticæ prauitatis fermẽto negligentes fuerint vel remiſſi, ab Epiſcopali officio deponuntur. Vt ex eo etiã conſtet, quàm dãnandi veniant, quotquot à partibus hæretici ſtant Epiſcopi, quantò ſcilicet deterius crimẽ eſt, Principi hæretico regnum ad vniuerſam Eccleſiã deglubendã tradere, quàm hæreticos de ſuis diœceſibus negligenter expurgare.

Diſt. 40. ſi Papa.

Paul. Diaco. lib. 8. de geſt. Rom.

Niceph. lib. 16. ca. 35.

Extr. de hæret. cap. 13. § finali.

5. Amplius docet hæc ſententia contemnere, vt & de facto cõtemnit, & quotquot eã tuẽtur ac deffendũt, omnes

Eccleſiæ excommunicationes ac cenſu-
ras. Quippe qui excõmunicatum à Six-
to V. Pont. Maximo, & à quo diſcedere
ſub anathemate ipſo facto incurrendo
actúq; ab ipſis incurſo à Gregorio XIIII.
iuſſi ſunt, & quẽ Clemens VIII. qui nunc
eſt, nec patitur coram ſe nominari, hunc
adhuc etiam audeant Regem vocare, &
eius ſe ſeruos profiteri. Sed & irritam 6.
de poteſtate Eccleſiæ fidem, verbis illis
Chriſti ad Petrum, *Paſce oues meas*, con- *Ioh.21.*
tentam, facit propoſitio hæc. Nam cùm
ad paſcendum oues, lupos id eſt hæreti-
cos arceri, & arietes cornipetas, id eſt ty-
rãnos recludi ac prohiberi oporteat, pro-
pter quod & id in hæreticos tyrannóſq;
præſtandi verbis his conceſſa Eccleſiæ
poteſtas eſt, tum verò illã Propoſitio hęc
videatur eneruare. Quin & pari ratione 7.
dãnat omnia, quæ in hęreticis deſtituen-
dis, trãsferendíſque authore Deo, *de gente*
in gentem, propter iniuſtitias & iniurias &
contumelias & diuerſos dolos (vt ſcriptura *Eccl.10.*
ait) regnis atque imperiis, Eccleſiæ iudi-
cia, hiſtoriis prodita, totiúſque orbis ap-
probatione facta extiterunt. Cuiuſmodi
fuit Gregorij II. Leonem Imperat. Ico-
nonomachum excommunicantis, & icto

cum Francis, vt Cedrenus ait, pacto ac fœdere, tributa ei ſolui ab Italis prohibētis, ac deinde parte imperij mulctantis: Zachariæ Papæ Childericum Frācorum Regem deponentis, & Pipinum ei ſubſtituentis: Leonis III. Imperium à Græcis ad Germanos transferentis. Et ſimilia.

8. Docet itē propoſitio illa contra Eccleſiā orare cum hæreticis. Quippe cum ſubditis neceſſaria ſit cum Rege, & pro Rege orationis communio. Cum hæreticis autem orare Eccleſiæ decreto vetitum eſt, in Cōcilio Laodiceno, & 4. Carthag.

9. Item & decreto Eccleſiæ aduerſatur, quo relapſi in hæreſim ſæculari iudicio tradūtur, licet pœniteant, nec ad aliud quàm ad Sacramenta Eccleſiæ admittuntur. *De hæret. in 6 cap. 4.*

10. Denique docet apoſtatas atq; hæreticos ſine conuerſione ac pœnitentia recipiendos, cum hęreticum iſtum, antequā conuertatur ac pœniteat, non deſinant Regē nominare. Quæ omnia ſi ita ſunt, tota Eccleſiæ authoritas, & quæ de ea fides eſt concidat neceſſe eſt.

1. SED & contra Decalogum ac doctrinam morum eſt, quia præceptis Dei manifeſtiſſimè pugnat. Primùm quidem, quia iuramentorum fidem tollit, quale

fuit ſolenne illud vnionis iuramẽtum, ab ipſis totóque regno emiſſum, de non admittendo in Regem hæretico: docétque palam & publicè peierare, noménq; Dei in vanum aſſumere. Deinde contra pręceptum Dei negatiuum, quod obligat ad ſemper & pro ſemper, docet tẽtare Deũ, & Eccleſiam ac religionem manifeſtiſſimo ac certiſſimo euerſionis periculo, quod ſub hæretico Rege eſt, exponere. Vbi iure eſt quod miremur, ad tã multa quæ contra hæreticum proferuntur, reſponſum horum vnũ eſſe, fore vt Catholicus fiat, & ſub tam ridiculo fundamento, tam incerto ac planè nullo, tam altum ædificium extruere velle. Nam vt ridiculum ſit, vel ipſi doceãt hæretici, qui (vt hominis ingenium norunt) de expectatione illa, quoties illis occinitur, rident tã ſuauiter: foréque vt in nequitia ſua perſeueret, tã magnificè ſolent prædicare. Sed nec ridiculum quicquam magis eſſe poteſt, quàm cùm hęretici liberum arbitriũ tollant, hunc ſibi tamen tãtum de ſuo arbitrio polliceri, vt primam gratiam, ſine qua ad Catholicam fidem conuerſio non eſt, ipſe ſuis viribus cum volet arripiat, & Deo vel nolenti extorqueat. Sed vt hoc

2.

nullum ſit, eluſa toties fides,& relapſi in hæreſim leuitas docet, ac multò etiã magis ſcripturæ auctoritas,quæ ait, *Hæreticum hominem deuita, poſt vnam & alteram correptionem, ſciens quia ſubuerſus eſt,& proprio iudicio condemnatus.* Nulla vt craſſior Dei tẽtatio,aut inexcuſabilior,quàm iſta

Tit. 3.

3. eſſe poſſit. Amplius qui Regem hunc vocat, quotquot ab eo belli huius occaſione facta homicidia & ſacrilegia, omníſque generis crimina ſunt, probat atq; iuſtificat. Par autem conditio, iuxta D. Paulum,eorum qui faciunt,& qui cõſentiunt facientibus.

Rom. 1.

Deniqve contra Patrum doctrinã atque placita eſt, qui hæreticos, & omnẽ cum eis congreſſum ac communionem deteſtati ſunt ac prohibuerunt. Cuiuſmodi eſt Ioannis Apoſtoli cũ Cerintho eodem balneo eſſe nolentis: Polycarpi Marcionem deteſtãtis & primogenitum Diaboli vocantis: Antonij in vltimo vitę ſpiritu hæreticos atque ſchiſmaticos vitare,& ſuum in eos odium ſectari iubentis. Sed & eadẽ aliorum tum veterũ,tum recentium Summulariorũ, Syluestri, F. à Victoria, Alphõſi, D. Thomæ, omninóque omniũ: ac Facultatis etiam Pariſiẽſis

Iren. lib. 3. cap. 3.
Hierony. in Catal. ſcript.
Athan. in vita S. Ant.

in articulis, qui de iure diuino dicuntur, Anno 1590. ſententia fuit, & adhuc eſſe pergit.

SECVNDVM verò membrum, quòd ius hæretico ad Chriſtianiſſimum regnũ eſſe dicũt, vt ſit hæreſis, verbo vno expedire ſat eſt. Quia cum Chriſtianiſſimus Rex Eccleſiæ primogenitus ſit, nec primogenitus eſſe poſſit, niſi qui filius, & inter filios primus, tum hæreticum filium Eccleſiæ dicere manifeſta eſt hæreſis. Non enim filius Eccleſiæ, niſi qui in Eccleſia eſt. Hæreticos autem extra Eccleſiam eſſe, ex fide credere debemus ac tenemur. *Auguſt. de fide ad Petr.*

QVOAD tertium membrũ, quòd hæreticum hominem Regem ſe à Deo habere, *ſibíque datum à Deo eſſe* dicunt, quia blaſphemum eſſe dictũ eſt, vt quale ſit id conſtet, opus in primis diſtinctione eſt. *Quòd blaſphema.* Non enim in eo blaſphemia eſt, quòd à Deo qualitercúnque datum aiunt, ſed quòd in Regem datum eſſe, iúſque ei regni datum diuinitus, Regémque à Deo probari velint. Nam hic eſt eorum ſenſus, cum eum vt Regem venerantur, & Regem per Dei gratiam vocant, humanæque ac diuinæ Maieſtatis reos, quot-

quot ei obloquuntur, eiúſque imperium detrectant, & de eligendo Rege agunt, in ſuis illis Pſeudoarreſtis pręclari ſcilicet cenſores eſſe dicunt. Quorum prius vt admittimus, ac verum eſſe cõfitemur, ita in poſteriore blaſphemiam eſſe arctè accuratéque deffendimus.

Qualiter à Deo datus hæreticus dici poßit.

Prius autem propterea libenter nec grauatè annuimus, quòd vt aliquomodo datum à Deo eſſe dici poſſit, tum verò id ne noceat, aut obſequij præiudicium inferat, non eſt quòd metuamus. Id tãtùm ſolliciti, vt quale illud ſit, quòd datus eſt, ſincerè ac rectè intelligatur. Duobus porro modis datus à Deo dici poteſt, vel vt tentatio quædam, veluti Paulo datus eſt ſtimulus carnis, & vnicuique noſtrũ datus eſt tẽtator angelus Sathanæ, qui nos colaphizet: vel vt pœna quædã, quomodo Chriſto alapæ datæ ſunt, & Babyloni ad menſuram præteritæ delectationis datur tormẽtum. Vel ſanè vtroque modo. Iſto enim ſenſu pſeudoprophetas & creaturas in tentationem, tyrannos verò in flagellum & pœnam datos eſſe in ſcriptura comperimus. Sic enim dicitur Deus dediſſe *ſpiritum mendacij in ore Prophetarũ Achab*, & creaturæ Dei *in odium factæ, &* *in*

2.Cor.12. *Ioan. 18.* *Apoc. 18.* *3. Reg. 22.* *Sap. 14.*

in tentationem animis hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium dicuntur. Et in Deuteronomio, *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum & portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit, eamus & ſequamur Deos alienos, non audies verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dominus, vt palam fiat, an diligatis eum an non.* De tyrannis verò, *Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea. Ad gentẽ fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illũ in conculcationem, quaſi lutum platearum.* Inſuper & iſto ſenſu tyrãnus ſeruus Dei dicitur. Nam & Nabuchodonoſorem populi ſui oppreſſorem ſeruum ſuũ vocat Deus. Eadem vtique ratione, qua & Diabolus *ſeruus* Deo *ſempiternus* in libro Iob nominatur. Et *Spiritum Domini malum*, qui Saül agitabat, & *immiſſiones per Angelos malos*, vtique ad ſeruitutem Dei in ſcriptura legimus. Ferè enim iſtud accidere ſolet, vt hæreſim perſecutio, hypocriſim crudelitas ſubſequatur, abeátque in Draconẽ, vt ſcriptura indicat, Serpẽs, iũctíſque viribus *Eccleſiam ſimul*, vt Tertullianus ait, *doctri-*

Deut. 13. *Eſa. 10.* *Hebr. 27.* *Iob 41.* *1. Reg. 16.* *Pſal. 77.* *Apoc. 12.* *De præſcript.*

næ peruerſitate hæreſis, & perſecutionum atrocitate Antichriſtus perſequatur. Niſi quòd, vt idē ait, *perſecutio & martyres facit, hæreſis apoſtatas tantum.* Et nos ſanè vtróque modo, tum vt tentatorem, tum vt tortorem, ſicuti & Diabolum, datū à Deo Nauarrum, hæreticum ſimul ac tyrannum, confitemur. Adde etiam, ſi vis, in vtroq; ſenſu ſeruum Dei inſtar Diaboli eſſe. Datur enim Dei ſeruū eſſe, tum vt Angelus,
Pſal. 118. tum vt Diabolus. *Omnia quippe ſeruiunt ei.* Sed vt illud piorum & Catholicorū eſt, ita hoc malorum & impiorum. Quale & illud eſt apud Metaphraſten martyris
Sur. tom. 6. Arthemij ad Iulianum apoſtatam. *Cur, ô Imperator, ſacros Deo viros tam immaniter torques? Scias quoque te eſſe hominem, pari cōditione patiēdi natum, etiam ſi te Deus creauit imperatorem. Si modò à Deo accepiſti imperiū, & non potius malus Dæmon te aduerſum nos*
Luc. 22. Matth. 13. *expetitum accepit, vt cribraret ſicut triticum, & ſuperſeminaret zizania.* Nam vt in ſuperſeminatione zizaniorum tentatio infidelitatis, ſic in cribratione probatio deſignatur. Sed & ſe flagellum Dei eſſe, vt alterum Attilam, non obſcurè Nauarrus ipſe confeſſus eſt, cum in Rothomagenſi agro, oppidū verſus, cui Caudebeco no-

men, obequitãs,(ſicuti à viris fide dignis
auditum eſt) vaſtitatémque ingentem &
populi luctum cernens: *Quàm*, inquit, *Nauarrus flagellum Dei ſe fatetur.*
populus iſte me mortuum vellet! Sed nimis ad-
huc nequam eſt. Diuina ſanè virgula iſtud,
vel ex impuro & polluto ore, vt qui ſe nõ
ob aliud viuere, quàm ad populi pœnam *Eſa.1.*
Deíque iram fateatur: tum demum haud
dubiè periturũ, cum populus *de medio ſui*
malũ auferre, cum emẽdari occœperit, cũ
agere peruerſè quieuerit, cum *impietas* miſſa
foras *in terrã Sennaar*, vt apud Zachariam *Zach.5.*
eſt, fuerit, cũ ad Deũ clamauerit, *qui libe-*
rabit eos de omnibus interitionibus eorũ, & de *Pſal.106.*
omnibus tribulationibus eorũ eripiet eos. Pro-
pter quod, nec re vlla magis aut ipſe aut
qui ab eo ſtãt, quàm Catholicorũ preci-
bus offendũtur, inſtar Diaboli, quẽ (vt ait
ſacer Antonius) piorũ vigilię, ieiunia prę-
céſque excruciant. Prædonũ vtique ac *Athan. in vita.*
furum in morem, quibus nullum magis
inſuaue odioſúmve ſpectaculum, quàm
eius quæ eis debetur crucis ac furcæ eſt.
Nam & ſic nos à Deo datum eſſe iſtum
confitemur, ſed nõ vt propterea huic vel
miniſtris eius credi, aut eum in Regem
agnoſci oporteat. Quin potius, vt cribro
hoc, ſicuti ſub Iuliano, cribretur Eccleſia,

vtque à reprobis electi, ab hœdis agni, à filiis Agar filij ſpiritus, ab alienis legitimi ſeparentur, agnoſcatúrque iuxta pro-
Mal. 3. phetam quid interſit *inter ſeruientem Deo*
1 Pet. 5. *& non ſeruientem ei*. Nempe vt tentationi huic, ſicuti & aduerſario Diabolo, reſiſtendo probentur Catholici, tolerandóque id proficiant, vt & à vitiis purgentur, & patientiæ merito coronentur. Sic enim à Deo lupi beſtiæque immittuntur, ſed quas cædi fugaríque: ſic peſtilentiæ & febres, ſed quas curari ignéque purgari: ſic denique in arreptitios cacodæmones, ſed quos exorciſmis pelli abigîq; neceſſe eſt. Hîcque locũ illud Tertulliani habet, *Vanè & inconſideratè ſcandalizari eos,*
De præſcript. *quòd hæretici tantum valeant cum ſint, qui impedire poſſint ne ſint. Nullaque re tantum valere hæreſes, quàm eorum infirmitate, qui ſe vinci patiuntur: nihil vtique valituras, ſi in benè valentem fidem incurrant*. Omninóque qua ratione à Poëta de Deo dictum eſt,

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Georg. 1. *Prædaríque lupos iuſſit, pontúmque moueri,*
Vt varias vſus meditando extunderet artes:

eadem multóque meliore dicere poſſu-
1. Cor. 11. mus, oportuiſſe non hæreſes, tãtùm iuxta

Apoſtolum, ſed & tyrannum hunc hæreticum noſtris tēporibus eſſe, *vt qui probati ſunt manifeſti fiant*, ſitque iſta occaſione *gloria & honor homini operanti bonū*, & qui vicerint vt columnæ in templo Dei collocentur. Eis autem *qui credunt iniquitati nec acquieſcunt veritati*, & Dei inimico turpiter colla ſubdunt, ſit ille in petrā ſcandali & in lapidem offenſionis, ſit in idolum quod colāt, in vitulum quē adorent, ſit in cibum concupiſcentiæ, vt carnes Iſraëlitis, ſit in calicem veneni & erroris, mox futurus iuſto iudice Deo, de menſa in laqueum, & in calicē iræ Dei, in gladium qui eos ſcindat, in Rhamnū qui incendat, in confuſionē quæ deiiciat, denique in damnationem quæ eos perdat. Nam ſic nos à Deo datū dicimus, vt non per gratiā Dei, ſed in furore & in ira Dei datū prædicemus. Sic enim dat Reges in furore ſuo, de quibus dicit, *ipſi regnauerunt ſed non ex me*, vt mendacio credentes *dimittat ſecundum deſideria cordis eorum*, ituros *in adinuentionibus ſuis*, vt *deſiderium eorum afferat eis, nec ſint fraudati a deſiderio ſuo*, ſicuti magnus Auguſtinus ait: *Ad iram*, inquit, *Dei pertinet iuſtam quicquid cæca & indomita concupiſcentia faciunt*

Rom. 2. *Apoc. 3.* *Eſa. 8.* *Num. 11.* *Pſal. 77.* *Pſal. 68.* *Pſal 36.* *Iud. 9.* *Nauarrus qualiter à Deo datus.* *Oſe 13.* *Oſe 8.* *Pſal. 80.* *Pſal. 77.* *In Enchir. cap. 27.*

Eccl. 15. *libenter mali*, vt *quod placuerit eis detur eis*,
Pſal. 108. & quia noluerunt benedictionem, elongetur ab eis, & maledictio quam dilexerunt veniat eis.

SED vt hæc dicta ſint de eo quod Nauarrus à Deo datus dici poteſt, quòd addunt in Regem datum eſſe, eúmque ius regni à Deo habere, tum verò vt id blaſphemum ſit, argumento non vno patet.

1. Ac primũ manifeſta blaſphemia eſt, quæ Deum authorẽ mali facit. Nam ſi à Deo eſt & probatur hæreticus Princeps, & ab eo quoq; hæreſis vel ſit vel probetur neceſſe eſt: cum nulla ex re incrementũ hæreſi maius, quàm ex Rege hæretico eſſe poſſit, ſitq; SVPREMVS hic hæreſeos fauor, & quo maior dari non poteſt, ſi regnum ac regni ius hæretico deferatur. Abundéque in eo erit hæreticis, quòd ſibi in ſcelere ſuo gratulẽtur, probaríque illud Deo dicant, qui eo tinctum, imo eius vindicem Principem ſibi datum diuinitus, vel à Catholicis ipſis audiant. Sed blaſphemiam ſcriptura arguit, quæ ait. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, &, *Odio ſunt Deo impius & impietas eius*: & ex eodem abyſſi puteo fumum, id eſt hæreſim, & locuſtas, id eſt hęreticos, aſcẽde-

Supremus hæreſeos fauor, Rex hæreticus.

Pſal. 5.
Sap. 14.

re teſtatur, quibus Rex non Chriſtus, nõ Deus, ſed qui Hebraicè Abadon, Græcè Ἀπολλύων, Latinè Exterminans, abyſſi Angelus, id eſt Diabolus nomen habet. Nec ſi hæreſes permittit Deus, propterea horũ auctor eſſe dicendus eſt, qui ne permitteret quidem, niſi quia vt D. Aug. ait, *Sapientiæ ſuæ magis congruere vidit ex bonis mala elicere, quàm nulla mala eſſe permittere.* Admirabilíque prouidentia, vt idem alio loco ait, *congruis temporibus ordinãtur vaſa iræ, vt de ipſis diuitias gloriæ ſuæ notas faciat Deus in vaſa miſericordiæ.* Nec minor blaſphemia Chriſtum ſponſam ſuam, quam vnicè diligit, quam ſanguine ſuo redemit ac mundauit, iurato hoſti atque infami adultero polluẽdam dare ac proſtituere. Nã vt illudi Eccleſiæ ſuæ aliquãdo Deus patienter ferat, at probari id ab eo, iúſque adultero dari, quis niſi blaſphemus dicere auſit? Sed nec ſine blaſphemia dici poteſt, Chriſtum Diaboli regnum cõſtituere. Quippe quẽ in id apparuiſſe ſcriptura ait, *vt diſſolueret opera Diaboli*, vt *Principem mundi huius mitteret foras*, vt de atrio deiiceret & ſpolia diuideret. Neque verò illud ambiguum, regnũ Diaboli ab eo cõſtitui, qui Diaboli mẽbro ac ſemini

Apoc. 9. *In Enchir.* *Lib. 1. cõt. aduerſ. leg. & proph.* 2. *Epheſ. 5.* 3. *1. Ioan. 3.* *Ioan. 12.* *Matth. 12.*

ius ad regnum conferat ac tribuat. Qualis cũ ſit omnis hæreticus, nec citra blaſphemiam dici poteſt, hęretico ius regni à
4. Deo datum eſſe. Adde quòd blaſphemũ eſt, Deum negare ſeipſum, agerèque contra ſapientiam & iuſtitiam ſuam: velléque eũ ab hominibus coli, qui eius gloriam conculcat ac proſternit. Quod proculdubio erit, ſi ius ille hęretico ad regnũ
5. cõceſſerit. Nec minus blaſphemum eſt id; Regem à Deo nobis eum dari, cũ quo inimicitias nobis ipſe eſſe velit. Hoc e-
2. Cor. 1. nim eſt in Deo EST & NON cõtra Apoſtolum agnoſcere. Planum eſt autem inimicitias nobis cum hæretico iure diuino eſſe. Quippe hæreticus ſemẽ eſt Diaboli, ſicut Catholici ſemẽ mulieris, quæ Ecclesia eſt. Scriptum eſt autem, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen mulieris.* Vnde & Propheta, *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper ini-*
6. *micos tuos tabeſcebam?* Iam verò quòd hęreticum Regem vocant per gratiam Dei, manifeſta in meritũ Chriſti blaſphemia eſt, quippę qui gratiam meruit, nõ ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Hæreticum enim Regem eſſe, manifeſta deſtructio eſt, Ad nihil quippe vtilis niſi ad

Catholicis cũ hæretico iure diuino conſtituta inimicitia.

Geneſ. 3.

Pſal. 138.

ſubuer-

ſubuertendum hæreticus. Et qui *cum* *Matth.12.*
Chriſto non eſt, contra Chriſtum ſit neceſſe eſt. Nec verò cum Chriſto eſſe poteſt, qui de corpore eius abſciſus eſt, quod eſt Eccleſia. Quomodo ergo per gratiam Dei Rex dicatur? Adde quòd gratiam Chriſti 7.
ſanguine quæſitam abſurdum eſt extra Eccleſiam eſſe, aut non propter Eccleſiã operari, ſiue illa ſit gratum faciens, ſiue ſit gratis data, qualis omnino eſt, quæ in miniſterium conceſſa eſt. *Diuiſiones quippe* *1.Cor. 12.*
gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationũ ſunt, idem autem Dominus. Idque in vno corpore (vt ait Apoſtolus) *quod eſt Eccleſia.* *Epheſ.1.* Non enim gratia ſanitatum, Prophetiæ, virtutum, & ſimiles niſi in Eccleſia ſunt. Nec ſi in baptiſmi cauſa Nouatiani virtutes ac miracula ediderunt, id ſuo ac non potius Eccleſiæ merito fecerunt, cùm non de ſua in eo contra Eccleſiam inſania, ſed ipſius Sacramenti dignitate ageretur. *Socr.lib.7. cap.17.* Multò ergo minus extra Eccleſiã regiminis ſeu regni gratia eſſe poteſt, quæ tantò nobilius miniſterium eſt, quãtò generaliùs, atque adeo in hanc vel illam partem potẽtius. *Regiminis ſeu regni gratia extra Eccleſiam non eſt.* Nam regiminis gratia vt ad Eccleſiam ſpectet, & in Eccleſia ſit, vel canon

C. in die de conſecr. diſt. 5. ipſe indicat, quo *Theutonicis conceſſum regimen Eccleſiæ* dicitur. Non quo ſe Imperator in proceres Eccleſiæ atque ſacerdotes poteſtatem exercere putet, ſed vt ſe ſuo quodammodo regendæ Eccleſiæ inſeruire, imo & animarum curam gerere intelligat. Quod quàm ab hæretico, atque omni ab Eccleſia extorri alienum

Rex quodammodo animarum paſtor.

8. ſit, vel res ipſa clamat. Accedit & blaſphemiæ abſurditas. Nam ſi à Deo ius regni hæreticus habet, aut immediatè id erit à Deo, aut intermedio gentium iure, vt id liget in cœlo Deus, quod in terris populi conſenſu ligatum ſit. Non prius, quia nec id vniuersè de Rege, multò minus de hæretico verum eſſe poteſt, & id ante ſatis eſt probatum. Sed nec poſterius, quia non niſi in capacem & habilem ius gentium conſentire poteſt. Incapacitas autẽ & inhabilitas hæreſi maior nulla eſſe poteſt.

QVIN ſi quæratur quid ſit per gratiã Dei, aut in furore Dei Regem eſſe, quíq; ſint vel gratia Dei, vel furore Dei Reges, hoc ſanè reſponſi eſto. Cùm Gratia vniuersè ſit donũ Dei, ſiue auxilium ad Deũ mouens ac perducens, per quod ſcilicet Deus trahit omnia ad ſeipſum, & ſine

Rex per gratiã Dei quid.

quo negat Chriſtus venire ad ſe quemquam poſſe, quod quidem naturæ ordinem ſic excedit, vt ei nunquam pugnet tamen, ſed eam perficiat, cum naturę perfectio ſit ad principium ſuum applicari: ſed cum hoc diſcrimine tamen, vt cùm Gratia alia ſit gratũ faciẽs, alia gratis data, quemadmodum illa eum in quo eſt Deo iungit, eíque propria eſt, niſi quòd per accidẽs etiam aliorum eſt, in eo quòd aliis ædificandis ſeruit, ita hæc habenti ſæpe inutilis, aliis potius trahendis & ad Deum quouiſmodo ducendis inſeruiat, qualis omnino eſt, quę in miniſteriũ data gratia eſt, id ſequitur, cũ regnãdi ſeu regiminis gratia tota poſterioris generis ſit, nec tã propter eũ qui præeſt, quàm propter eos quibus præeſt data (non enim propter paſtorẽ oues, ſed propter oues paſtor eſſe ſolet) tũ ſi quis natura aptus, legibus & rectæ rationi cõgruenter, probãte Rep. ad regnũ ingreſſus, id agat, vt quod publici boni eſt politicè Chriſtianéque promoueat, hũc demũ Dei gratia Regẽ eſſe. Quia nonniſi per magnam Dei gratiam eſſe poteſt, vt talis támq; vtilis principatus populo inducatur. Ab eo ſcilicet, *in cuius manu eſt poteſtas terræ*, quiq; *vtilem*

Ioh. 6.

Regnandi gratia non propter eũ qui præeſt, ſed propter eos quibus præeſt data.

Eccli. 10.

rectorē in tēpore ſuſcitat ſuper illā. Neq; verò aliter ad Regē gratia illa ſpectat, niſi quia quæ populo boni vtiliſque principatus conceſſa gratia eſt, huic contigit vt per illum, idoneum videlicet & minimè gratiæ contrarium, eadem adminiſtretur. Vt cōtra cū Ira Dei aliud nihil ſit, quàm gratiæ ſubſtractio, ſeu vt Aug. ait, *nonniſi auerſio vultus eius*, id dicente vel Propheta, *Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo*: haud ſecus quàm Solis receſſus noctem ac tenebras facit, & ira propter ſimilitudinem effecti nūcupatur: ſed ita tamē, vt nō aliundè auerſio Dei ſit, quàm quòd primi ipſi à Deo auertimur: propter quod & iram Dei deffinit Iamblychus, *cum ab eius benefica cura, quaſi à lumine Solis diuertimus*: ſi quis vel natura ineptus, vel legibus ac rectæ rationi cōtrarius, id exigentibus propter auerſionem à Deo populi peccatis, vi armíſque repugnanti populo intrudatur, aut publicæ paci inutilis vel etiam hoſtis infenſúſque ſit, non iam Gratia Dei ſed Ira ac furor ſit, taliſq; non per gratiam, ſed per furorem & indignationem Dei, Réxque propterea non iure, ſed facto tantum ſit dicendus. Tolerabilior quidem, ſi politicæ paci tantum

Quid Rex per iram Dei.

In pſal. 26
Pſal. 26.

Lib. de myſt. cap. de ira Dei.

Rex facto, non iure.

iniurius ſit, quantumuis ſubditos oneribus premat, ſcorpionibus cędat, libertatē fortunáſque eripiat, ius æquúmque opprimat. Vt cōtra deteſtabilior, modíſque infinitis execrabilior, ſi ad iuris oppreſſionem, Religionis interitum aut etiam periculum addat. Imo etiam ſi ſaluis cæteris, quod ſummū pretium eſt, religionem opprimere, ac regnum cœlorum auferre præſumat. Sua quippe hîc manet Iræ furoríſque Dei diſtinctio, vt cum illa ſicuti ex ſcriptura Rupertus probat, alia parua ſit, quæ temporalis cuiuſcūque generis oppreſſio eſt, alia magna, quę ſalutis æternæ priuatio, *faméſque*, vt Propheta ait, *non iam panis, ſed verbi Dei* per religionis interitum eſt: ſicuti & miſericordia Dei alia magna, quæ æternùm ſaluat, alia parua, quæ temporaliter eripit, & ſæcularia commoda dat: atque ita, vt cum parua miſericordia ira magna Dei, & cum miſericordia magna ira Dei parua vt plurimum commorentur, propterea qui tēporaliter affligit tyrannus, in ira Dei parua, qui verò Religioni infenſus eſt, in ira Dei magna datus, factóque, vt dictū eſt, nō iure Rex eſſe dicatur. Haud ſecus quā à magno & potēti prędone, quæ per vim

Ira Dei duplex.

Lib. 9 de vict. verbi Dei.

Amos 8.

ille rapuerit,etſi id Deo permittente,hoc eſt non impediente,ac propterea irato ſit (nõ enim aliud,vt dictũ eſt,ira Dei quàm gratiæ auxiliique ſubſtractio) facto quidem, ſed non iure poſſidentur. Nam vt vera ſit illa irę ac miſericordię Dei diſtinctio, indicant ipſius apud Prophetã verba.

Zach.1. *Zelatus ſum*,inquit,*Hieruſalem & Sion zelo magno, & ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulẽtas,quia ego iratus ſum parum,ipſi verò addiderunt in malum*: zelum vtique magnum magnã miſericordiam vocans, qua Hieruſalẽ,id eſt Eccleſiam æternùm

Pſal.50. ſaluaturus eſt,de qua alibi Propheta, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Vt contra iram magnam,id eſt æternam damnationem iis prænunciat, qui populum Dei tẽporaliter opprimere (quæ ira Dei parua eſt) non ſatis habentes,ad religionis etiam defectionem hortari,eiúſque interitũ moliri (nam hoc eſt *addere in malũ*, ſiue iram magnã, quæ ſimpliciter malũ eſt, paruæ iræ,quę mali tãtũ ſpeciẽ habet,ſuperaddere)non dubitant.

Pſal.88. Quo eodẽ ſenſu alibi Deus ait, *Si dereliquerint filij eius legẽ meã,& in iudiciis meis nõ ambulauerint: Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in*

virga iniquitates eorũ, & in verberib⁹ peccata eorũ. Miſericordiam autem meã non diſpergã ab eo. Quam tandem? *Semel,* inquit, *iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternum manebit.* Miſericordiã videlicet Chriſti aduentum ac religionem, æternámque Eccleſiæ ſalutem κατ' ἐξοχὴν vocat, vt magnam miſericordiã eſſe intelligas, præ qua cætera quæ dãtur bona, nihil niſi parua miſericordia ſint, & pręcuius euerſione aut amiſſione, cętera quę tolerantur mala vix irę loco poni, nec niſi parua ira iudicari debeant. Qualiter ſcilicet, ſi exemplis certandum eſt, ſub Pharaone in immanibus illis inſanarum ſubſtructionum molibus ac preſſuris: itémq; ſub Chuſam-raſataim Meſopotamiæ, ſub Eglon Moabitarũ, ſub Iabin Chananæorum Regum, ac deinceps ſub Madianitarum, Ammonitarũ ac ſæpius Philiſtęorum iugo ſeruitutibus: addimus etiam & ſub Nabuchodonoſore vrbis incenſore, & tranſmigrationis Babylonicę authore, in acerbiſſima & luctuoſiſſima perſecutione, quamdiu vis illata religioni nõ eſt, parua Ira fuit. Magna vtiq; futura, ſi quod poſtremus hic inceperat, vt ad aureæ ſtatuę cultum populũ cogeret, ac recuſantes

Exod. 1. *Iud. 3.* *Iud. 4.* *Iud. 6.* *Iud. 10.* *4. Reg. 25.* *Dan. 3.*

in fornacem ardẽtem mitteret, diuinitus ſedatum, atque inſigni trium puerorum miraculo præciſum non fuiſſet. Vt con-
3.Reg.12. tra ſub Hieroboam, *qui peccare fecit Iſraël*, & exitij æterni cauſa fuit, deinde ſub An-
1.Macc.1. tiocho *radice peccati*, religionis oppreſſore, qui nefarium pietati bellum indixit, qui ſabbatha prohibuit, ſancta coinquinauit, circunciſionem abſtulit, ſacros libros incendit, abominandum deſolationis idolum ſuper altare Dei poſuit, aras & ſacrificia dęmonibus inſtituit, magna Ira
Magna ira Dei ad eos tãtùm pertinet, qui impietati colla ſubdunt. proculdubio fuiſſe putãda eſt. Sed ita tamẽ, vt in eos tantũ magna ira eſſet, qui eius impietati colla ſubmiſerũt, qui relicto *teſtamento ſancto, fecerũt ſibi præputia*, id eſt circunciſionẽ in gymnicis certáminibus
1.Macch.1 velarũt, *venũdatiq; vt facerẽt malũ*, ad idola turpiter deflexerũt. Vt iis cõtra, qui fortiter reſtiterũt, ac *pro teſtamẽto patrũ*, ſicuti
1.Macc.2. Matathias docuerat, *animas ſuas poſuerũt*, cuiuſmodi præter illos fortiſſimos duces Iudã, Ionathã, Simonẽ, & alios qui armis contra impium tyrannũ fortiſſimè dimicarunt, vrbem ac templũ ab impuritate vindicarunt, ac Fœderis ſacri contra hæreticum ineundi exemplo nobis præįerunt, beati illi cum egregia ac nuſquam

ſatis

ſatis laudata matre ſeptẽ fratres ac martyres Machabæi extiterunt, nonniſi parua ira fuit. Quod & ipſi procul dubio agnouerunt, ac verbo etiam confeſſi ſunt, cum qui ex iis ſeptimus & natu minimus erat, cæſis iam fratribus ipſe moriturus, id tyranno in os dixerit, *Etſi nobis propter* 2.Mach.7
increpationem & correptionem Dominus Deus noſter modicum iratus eſt, ſed iterum reconciliabitur ſeruis ſuis. Et infra, *In me* (inquit) *& in fratribus meis deſinet Omnipotentis ira, quæ ſuper omne genus noſtrum iuſtè ſuperinducta eſt.* Ad iram verò magnam pertinet, quod ille in Tyrannum iis verbis annunciat. *Tu autem ſceleſte & omnium flagitioſiſsime, noli fruſtra extolli vanis ſpebus, in ſeruos Dei inflammatus. Nondum enim omnipotentis Dei & omnia inſpicientis iudicium effugiſti. Nam fratres mei modico nunc dolore ſuſtentato, ſub teſtamento vitæ æternæ effecti ſunt. Tu verò iudicio Dei iuſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolues.* Eodem vtique ſenſu, quo tũ de iis, tum de aliis martyribus Sapiẽs
ait, *In paucis vexati, in multis benè diſponentur.* Sap.3.
Et Auguſtinus, *hîc vre, hîc ſeca, vt in æternum parcas.* Contra verò de impiis,
Exacerbauit Dominum peccator, ſecundum Pſal.9.
multitudinem iræ ſuæ non quæret. Id eſt ma-

gna Dei ira fiet, vt in hoc mundo nõ corripiatur, ſed æternùm in futuro puniendus ſeruetur. Hîc quippe per iram paruã boni corripiuntur, vt non per iram magnam cum hoc mundo damnentur. De
Pſal. 6. qua illud pſaltis, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua*, ſcilicet magna, atq; adeo κατ' ἐξοχὴν, *corripias me.* Quo
Pſal. 74. non multum abſimili ſchemate *Calix iræ*
Hier. 25. *Dei* in ſcriptura nuncupatur, cuius initiũ parua ira, fex verò magna ira, hoc eſt, æterna damnatio, ac religionis interitus perpetuò intelligi debet. Quod ſi ita eſt, nec verò periculum Eccleſiæ ac religioni maius vllum, quàm ſub infenſiſſimo eius hoſte, hoc eſt hæretico, eſſe poteſt, intelligitur ex eo, quàm intolerabilis, quámq; magna Dei ira digna ac punienda eorum nequitia atque blaſphemia ſit, qui Nauarrum hæreticum & relapſum, próque hæretica prauitate annos prope triginta pugnantem, ſacerdotũ ſanguine madentem, hæreſimq; ac Diaboli regnum vbique ſtabilientem, nihilo ſecius per gratiã Dei Regem vocant. Et quod illis, qui eũ recipiunt, aut ei quoquomodo fauẽt, magnæ iræ, nobis verò qui reſpuimus, & pro eo famem, nuditatem, cruces & gladios

toleramus, paruæ iræ loco eſt, id per gratiam Dei eſſe, quémque Regem facto habẽt, eum etiam iure Regem, Deóque auctore tueri, atque ita nos ad paruam Dei iram magna ira commutandam hortari non vereantur.

Postremvm ſupereſt, quòd de facto Nauarrum ſe Regem agnoſcere, eíq; ſeruire profitentur, & quod malè cogitatum erat, ad praxim peius reducitur: ac vicinis propterea cognatíſq; criminibus tenetur, vt ſimul iſto facto in Eccleſiam ſchiſmaticos ſe probent, & in Rempub. perduelles. *Quòd ſchiſmatica.*

Non enim obſcurũ Schiſma eſſe poteſt, cum iſta ſententia ab obedientia Eccleſiæ vnius, ſanctæ, Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ, quæ tum antiquo & cõmuni, tum priuato & recenti iure nominatim à regno hæreticum hunc excluſit, ac ne quis ei ſeruiat, ſub anathemate prohibuit, tam clarè diſcedatur. Turonenſiũ videlicet, Cathalaunenſium & Cadomẽſium, quaſi tricipitis Cerberi, furori congruenter, qui Pontificis diplomata lacerarunt, igníque per manum carnificis admouerunt. Carnutenſis item conciliabuli Põtificum, qui abuſiuum diploma eſſe

cenſuerunt, quãtúmque in iis fuit, Galliã totam ſchiſmaticam eſſe voluerunt. Tãtò rurſum peius ſchiſma, quãtò cauſa deterior, ſiue radicem arboris, quæ hæretici ad regnum promotio eſt, ſiue fructũ huius ſpectes. Qui cum in omnem partem malus, tum verò in eo peſſimus eſt, & ad diſſipandã Eccleſiam mirè efficax, quòd indigniſſimis atque adeo hęreticis, vtpote per hæreticũ, iſto modò beneficia cõferentur, catholici excludẽtur, lupis Eccleſiæ atque oues Chriſti committentur, ac dũ reſiſtendi via nulla, nulla cautio eſt, paulatim religio regníq; baſis auferetur. Qualiter enim proceſſuri in eo ſint, tum ex raptis vi ac violentia iuſtis poſſeſſoribus beneficiorum titulis, tum ex eo maximè patet, quòd vna hæc obtinendi beneficij incapacitas, nõ ſi improbatæ quis religionis ſit, ſed ſi in Regis catholici electionem conſenſerit, aut omnino de catholicorum Vnione ſit, Turoni & in eius curia eſſe ſolet.

Quòd perduellionis plena.

NEC verò minus in Remp. manifeſta perduellio, quia iſto pacto 1. Regni leges cõuellũtur, 2. Splendor regni cõculcatur. 3. Hoſti notorio Reſp. proditur, 4. Reip. ac regno factæ iniuriæ approbantur, 5. San-

ctorum Patrum teſtamenta violantur, [6]. Tyrannorum ethnicorum inſtar, armata vi tyrannus regno Chriſtianiſſimo inducitur, [7]. Chriſtianiſſimi nominis, eiúſq; iuris ac dignitatis abalienatio committitur, [8]. Regno deniq; falſa nomina falſáq; cõditio imponũtur. Leges quippe regni conuelli hic conſtat, cuiuſmodi hæ vetuſtæ ſunt, *Regem vnctione conſecranto. Ad iuramentum de Eccleſia Dei in vera pace conſeruanda, de ſeruandis tuendíſque Eccleſiarum & Epiſcoporum priuilegiis, de prohibendis in omni hominum genere rapinis & iniuſtitiis, de hæreticis ex omnibus terris iuriſdictionis ſuæ bona fide expellendis adigunto.* Sunt enim illa concepta iuramenti Franciæ Regum verba, & quidem in Lateranenſi Concilio ferè ſic deſcripta, vt inde deprompta videri poſſint. Et quæ priuatim nuper in comitiis Blæſenſibus in legẽ fundamentalem abierunt, *Hæreticus à regni iure excluditor. Henricus Borbonius hæreticus, relapſus, ab Eccleſia excommunicatus, hoſtis patriæ iudicator. Omni iure ſucceſſionis, regni, dominij ac præfecturæ excidito. Hunc bello armíſq; Franci perſequũtor.* Quod ne ille vltra præcipiti conſilio factum, aut violẽtè extortum dicere poſſit, vt nouiſſimè in ſuo illo

1.

Frãciæ regum iuramenta.

Nauarrus à regno publica lege excluſus.

recenti diplomate mentitus eſt, facit iterata ſæpius & in codicem relata dãnatio, annuente imo iubente HENRICO, qui tũ erat, Rege, quódque iterum & tertio ante crudelẽ illam tragœdiam, quæ 23. Decẽbris contigit, factum fuerat, poſt cõmiſſum ſcelus, cũ accisæ Vnionis ſeu Fœderis vires viderentur, etiam approbante: cum re ſæpius iuſſu Regis diligenter examinata, fruſtráq; iſto admonito, cõſtans omniũ ordinũ eadémque vox, vel in media trepidatione permaneret, DAMNATVM eum regnóque extorrẽ eſſe. Nec

2\. dubium hîc tolli ſplendorem regni, qui in eo poſitus eſt, quòd hæreticũ Regem, aut quem talem eſſe cõſtaret, paſſum regnum hoc adhuc neminem eſt. Imo nec in vicinis regnis Burgũdiæ & Aquitaniæ hæreticum principatum ſuſtinere potuit, ſed ea iure Chriſtianiſmi bello acquiſiuit ac ſubegit.

Regni Frãciæ ſplẽdor, hæretico rege hactenus caruiſſe.

3\. Hoſti verò notorio vt prodatur Reſpub. vetera recentiáque eius acta docent, vt qui hoſtis ab vtero, & in armis perpetuus, nullum niſi Catholicũ ſanguinẽ fundere didicit, legitimos Reges hæreticorum prædonúmque cõquiſitis vndique armis, horum ipſe Dux, laceſſiuit vexauítque. In patriam exteros

Nauarrus regni hoſtis.

hæreticóſque hoſtes Alemãnos Anglóſque introduxit, legitimum Regem Carolum Borbonium Cardinalem in carcere tenuit, & ad mortem adegit, iura denique omnia diuina profanáque violauit. Amplius etiã exterorũ principũ prædæ regnũ expoſuit. Plana enim hîc legis authoritas, quæ hunc, quæ fautores eius, & qui regnum huic deferunt perduellionis dãnat. Quippe quæ maieſtatis reum agit, *Qui contra Remp. arma ferat, quíve hoſtibus nuntiũ literáſve miſerit, ſignúmve dederit, fecéritque dolo malo, quo hoſtes populi iuuentur aduerſus Rempub.* Neq; verò dici poteſt, 4. non probari ab eo illatas Reip. iniurias, qui ſontem non modò ſupplicio eximit, ſed etiam in throno collocat, puniendíſque aliis præficit, & furenti in vindictam libidini habenas laxat. Violati verò pa- 5. trum teſtamenti crimen in vno ſatis B. Remigij, Franciæ Regum apoſtoli atque patris, neglecto tranſgreſſóque teſtamẽto eſt, quo ille diſertè cauet, *Vt ſi regium genus à ſe cõſecratum, ſiue quis de Regio & cõſecrato ſanguine, mala pro bonis reddens, Eccleſiarũ Dei peruaſor, deſtructor, depopulator grauis aut contrarius exiſtere voluerit, à Rhemenſi Archiepiſcopo & aliquot adiunctis*

ff. leg. 1. ad l. Iul. Maieſt.

Nauarrus B. Remigij teſtamento à regno excluſus.

Epiſcopis moneatur. Et ſi deinceps incorrigibilis, contumaciæ ſpiritum non depoſuerit, & ſe per omnia ſubdens, benedictionibus Eccleſiæ participare noluerit, elogium ſegregationis à Chriſti corpore ei ab omnibus porrigatur, to-
Pſal. 108. *túmque ei, quod in perſona Iudæ traditoris Domini noſtri Ieſu Chriſti decantare ſolet Eccleſia, per ſingulas ei decantetur Eccleſias. Fiántq; dies eius pauci, & principatum eius accipiat alter.* Cui decreto quatuor ſanctiſſimi Epiſcopi, Medardus Nouiodunẽſis, Vedaſtus Attrebatenſis, Lupus Sueſſionenſis, Genebaldus Laudunenſis, hac forma ſubſcripſerunt: *Cui pater Remigius maledixit, ego maledixi: cui benedixit, benedixi: interfui, & ſubſcripſi.* Cuius teſtamenti quãtus terror, quàm formidabile ſit fulmen, quantáque religione ab eo violando cauendum ſit, cùm alij Galliæ Reges, quibus, tametſi in re minori, contempta vel læſa Eccleſię authoritas ac cenſura exitio fuit, atque in iis Heribertus Pariſiorum Rex, & Philippus Pulcher, Ludouicus Craſſus & alij, tum vnus omnium inſtar, terribili ad omnium ſæculorum memoriam exẽplo, Henricvs tertius fuit. Ne quis deinceps decretũ hoc in cœlis conſignatum, támque terribiliter ratum auſit
violare.

violare. Quo magis eorum intolerabilis 6.
inſania eſt, qui quod olim in Romano imperio militaris inſolentia fecit, vt tyrãnos ſæpe nequiſſimos principatui intruderet, ac Reipub. ceruicibus imponeret, idem hodie in impuriſſimi ac ſceleratiſſimi capitis cauſa, cõtra cœlum more gygantæo, contráque leges, & Patriæ mores, omni euerſo diuino humanóque iure, tentare non dubitent. Chriſtianiſſi- 7.
mi verò nominis iuríſque ac dignitatis abalienationem apertiſſimè faciunt, qui homini ne Chriſtiano quidem Chriſtianiſſimum regnum parere volunt. Niſi probabile credimus catholicorum vllũ tantum deſipere, vt hæreticum Chriſtianum eſſe putet. Cum plana ſit Aug. Cy- *Cypr. de vnit. Eccleſ.*
prianíque ſententia, *Quiſquis ille eſt, qualiſcunque ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Eccleſia Chriſti non eſt.* Et Epiphanius hæ- *Hæreſ. 29.*
reticum non aliter quàm æquiuocè, hoc eſt vt homo pictus homo dicitur, Chriſtianum eſſe dicat. Et vtriſque antiquior Tertullianus, *Si hæretici ſunt*, inquit, *Chriſtiani non ſunt.* Sed & rationẽ addit, *Cum* *De præſcript.*
quærunt, inquit, *nondum tenent: cùm autem non tenent, nondum crediderunt: cùm autem nondũ crediderunt, non ſunt Chriſtiani.* Pror-

ſus vt cũ iſto argumẽto Nauarrus, qui ſe inſtrui velle ait, arguat ſe necdum Chriſtianum eſſe, tũ mõſtri id ſimile ſit, quòd Chriſtianiſſimus Rex eſſe velit, antequã Chriſtianus. Sed & ſi ciuili iure certandũ eſt, leges ipſæ hæreticũ Chriſtiani appellatione indignum cenſent, talémque vetãt nominari.

L. damnato. Cod. de hæret.

8. Falſa denique nomina falſáq; conditio vt regno imponãtur, ex eo videre eſt, quòd Francię regnũ Feudi inſtar eſſe volunt, falſóq; fundamento nixi, quod hæreticis ſolenne eſt, vt ſuper falſo fundamẽto ſuas cõtra fidẽ atq; Eccleſiã nænias ac deliria ædificent, idem illi contra Remp. ac patriam in coronæ ac regni cauſa præſtãt. Nam vt ſub falſo iſto axiomate, *Quòd ſola ſcriptura ſit verbum Dei, iudéxque earum quæ de fide ſunt conuerſiarum*, poſt veteres & antiquas hæreſes, Lutherani atque Caluiniſtæ ſuam illam in Romanum Pontificem inobedientiam, turrímque adeo Babylonicam extruunt: ita ſub hoc falſo ſuppoſito, quòd Franciæ regnum iure ſucceſſionis ac Feudi primogenito debeatur, quicquid hoc turbarũ, ſeditionum, bellorum ac pernicioſiſſimæ ac monſtroſiſſimæ opinionis cauſæque eſt extruere atq; ædificare non verentur.

Non enim dici poteſt deberi iure Feudi, cũ Feudorũ ante annos circiter octingẽtos,hoc eſt ante Lõgobardos,&quadringẽtis poſt regnum hoc inſtitutum annis, mentio nulla extiterit. Nec iure ſucceſſionis, cum diuiſionem inter cohæredes regnum hoc iam non ferat, nec ad fœminam recta linea,in defectu maſculi(ſicuti in ſucceſſione lege tum diuina, tũ huma- *Num.* 27.
na fieri ſolet)ſed ad maſculos collaterales lege Salica,vel ipſorũ confeſſione deuoluatur. In hoc ſanè ridiculi, quòd cum lex Salica, quæ iuris gentium eſt, alioqui politicè bona, atque ex ſe vtilis ſit, hanc vſque adeo ratam eſſe volunt,vt iuri diuino opponere,ſupráque omne,quod dicitur Deus,extollere non dubitent. Vt qui hæreticum, quem lex diuina Regem eſſe prohibet, ipſi ſub legis Salicæ, nec eius quidem probè intellectæ(quippe quæ limitationem de habili, ſicuti ante dictum eſt,neceſſariò cõtineat) prę iudicio atque præſidio Regẽ eſſe velint: imo agnoſcere atque profiteri, próque eo armis tãdiu contra Eccleſiam ac patriam certare non vereantur. Quamquam nec ſi iure Feudi ſucceſſioniſve certandum eſt,obtineri ab iis poteſt, cùm hæreticum præter quam

quòd lex ciuilis hæreditate omni priuat, tùm quæ vna de potentiſſimis amittẽdæ hæreditatis ac Feudi cauſis eſt, *Si quis paternum cubile polluerit, Si Domini ſui vxorem adulterauerit, aut cum ea turpiter luſerit*, tãtò potẽtius in iſto locum habet, quantò nobilioris patris ac Domini, qui Deus eſt, nobilior coniux ac ſponſa Eccleſia, fœdiùs ab iſto, tot dirutis templis, tot erectis dæmonum ac peſtilentis doctrinæ Synagogis, tot trucidatis ſacerdotibus, tot conſtupratis impotenti libidine ſacris virginibus (quas ſubinde mutans, & alias aliis ſubſtituens, déque clauſtro in clauſtrum ſatiandæ libidinis cauſa volitans, religionem ſe mutare, feſtiuus raptor ac turpis ſacrilegus cauillatur) dehoneſtata, maculata, vitiata atque polluta eſt. Tãtò rurſum firmiore ad excluſionem argumento, quantò terribilius iſtud in Ruben primogenitum Iacob, diuinitùs in re ſimili pronunciatum à patre decretum eſt. *Effuſus es ſicut aqua.* NON *creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratũ eius.* Vnde factum, vt quia patris cubile polluerat, triplici quæ eum primogeniti iure contingebat prærogatiua, Sacerdotij, Regni, & duplicis portionis, auctore Deo

L. 16. Co. de hær. Feud. lib. 1. cap. 5.

Nauarrus ob ſacrilegam libidinem diuino iure à regno excluſus.

Geneſ. 49

priuatus ſit, quorum primum in Leui, ſecundum in Iuda, tertium in Ioſeph tranſlatum eſt. Ne qui paria commiſerit, vllo deinceps iure ad regni Chriſtianiſſimi ingreſſum aſpirare auſit. Nam qui tam fœdè Chriſti ſponſis illuſit, qualiter in Chriſti ſolio ſedere aut præeſſe poterit? Aut qualiter inceſtum, tam multarum corruptorem, admittet ſceptrum hoc, quod ſcelere iſto in vnica conſpurcatum Ludouicũ Regem nec ferre diutius potuit? Imo & alterum Henricum, nuper pari modo inceſtum, non tam eiecit, quàm eructauit?

ACCEDVNT iis in patriam, quæ poſt Eccleſiam omnes omniũ charitates cõplexa eſt, & ab eo diruta, euerſa, proſtrata, atque iis, quæ in qualicunque illo Carnutenſi ſcripto memorantur, cladibus afflicta atque vexata eſt, inſignes iniuriæ. Quas ſi quis noſtris, hoc eſt catholicis, quaſi harum cauſa ſint, obiicit, tum plana reſponſio eſt, vt dura ſit parti vtrique vaſtitas illa, verúmque ſit partem eius & noſtros neceſſario bello attuliſſe, tum illam ipſis tam honeſtã eſſe, quàm dedecoroſa hoſtibus ac turpis eadem eſt. Tam vi-

Clades publicæ catholicis honeſtæ, hoſtibus dedecoroſæ.

delicet dulce ac decorum pro patria atque Eccleſia pati, quàm infame & turpe contra vtramque vel premi vel armatum

1.Pet. 4. eſſe. *Nemo veſtrum*, ait D.Petrus, *patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* Non enim ſi pro pudicitia certans, lacera crinibus, aut contuſa facie proba mulier fuerit, deformis propterea, aut minus pulchra dicenda eſt. Tam laudanda de conflictu, quàm turpe huic parere adultero fuiſſet. Tam rurſum vulnere accepto illatóque honeſtata, quàm de vtroque confuſus turpíſque adulter abſcedit. *Vſque adeo*, vt ait Auguſt. *intereſt*

Lib.1.de ciu.cap. 8. *non qualia, ſed qualis quiſque & agat & patiatur. Manétque cum ſimilitudine operum diſſimilitudo agentium, ſicut & ſub ſimilitudine paſſionum diſſimilitudo paſſorum.* Non ſecus quàm *eodem motu terribiliter exhalat cœnum, & ſuaue fragrat vnguentum: & ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: & ſub eadem tribula ſtipulæ comminuuntur, & frumenta purgãtur. Nec ideo cum amurca oleũ confunditur, quia eodem præli pondere premitur.* Ne quis putet, ſi paria agunt ferúntq;

& qui pro hæretico, & qui pro Eccleſia pugnãt, pari conditione vtroſq; vel vitij vel virtutis, aut etiam damnationis vel commendationis eſſe.

ATQVE hæc ſunt quæ veluti ad clepſydram, pũctim breuitérque dicta, & ex doctiſſimorum patrum ſententiis eruta, pro Cenſuræ huius probatione Illuſtriſſimi Legati mandato faciant ſatis: vnde cõſtet, quàm verè Propoſitio illa, vndecunque prodierit, non falſa aut abſurda tãtùm, ſed & hæretica, blaſphema, ſchiſmatica, perduellioníſque plena ſit. Vt cũ neceſſe ſit, quotquot eam tenent ac mordicus tuentur, tamdiu & ipſos hæreticos, blaſphemos, ſchiſmaticos atque perduelles eſſe, tum cauſa nulla ſit, quin dum velũ retegitur, dum venenum aperitur, dum quæ mali cauſa, error in principio atque ignoratio fuit, diſcutitur, & ad radicem ſecuris apponitur, omnem ſibi ab ea, ſi ficta ſit, abhorrẽdi, ſi vera, quantocyus recedendi ac nuncium remittendi, dum licet & datum eſt, honeſtam rationem eſſe putent. Ad quod maturandum, ſi & hæc inſuper optima via eſt, vt cogitẽt quid ſe, quid nobis, hoc eſt, quid Nauarro, quid

Catholicis victoribus futurum ſit, atque vtros tandem vincere optandum ſit, eóſne, quorum pluſquam Cadmea victoria, & vtriſque tum victis tum victoribus, ſtabilito Caluiniſmi throno, euerſa religione ac patria, omníque tum diuino tum humano proſtrato iure, ſub impio principe, luctuoſa futura eſt: an eos potius, quos victores eſſe religionis ſecuritas, hæreſeō fuga, vitiorum ſecuris, reſtitutio iuris & æquitatis, regni ſplendor, vtriuſque partis ſalus, ac publica ſub pio ac verè Chriſtianiſſimo Rege trãquillitas eſt: ſi tale id eſt, vt ſi quid in iis bonæ mentis, ſi quid auitę Frãcorum laudis, ſi quid Chriſtianiſſimæ pietatis reliquũ eſt, id in omnem partem meritò debeat excitare, tum verò quod in nobis eſt, vt pro eo ac debemus vota faciamus, vt precibus ac ſacrificiis omnipotentem Deum fatigemus, id nos vt fecimus adhuc, & facturi amplius ſumus, ita eos viciſſim, vt quod agimus, quod dicimus attendant, ne ſe vltra decipi ferant, vt ad mentem redeant, vt in Chriſtianiſſimi Regis, qui Eccleſiam, qui patriam, qui collapſa iura reſtituat, electionem conſpirent, vt ſe Francos, vt catholicos,

vt

vt Chriſtianiſſimos, denique fratres noſtros exhibeant, per eum qui eſt, qui erat, qui venturus eſt omnipotẽs, adiuramus. Imo, ſi dicere licet & fas eſt, fructum hũc patientiæ noſtræ, laborum, vigiliarum, famis, egeſtatis, nuditatis, addimus & contumeliarum omníſque generis perſecutionum eſſe optamus atque obſecramus. Ac ne quis deinceps vana ac futilia de nobis, ac de noſtro ſenſu ſicuti toties factum audiuimus, ac propter Deum contempſimus, mendacia proferat, omnem quantum in nobis eſt, quacunque nos conuerſatio miniſteriúmque exercebit, charitatem, beneuolentiam, benignitatem, manſuetudinem promittimus & ſanctè pollicemur.

F I N I S.

Omnia iudicio Eccleſiæ ſubiecta ſunto.

APPROBATIO Theologorum.

HÆC nos infraſcripti Doctores Theologi, quæ ſupradictæ Cenſuræ probationis ſeu aſſertionis loco eſſe poſſint, ex Facultatis ipſius præſcripto legimus, cenſuimus, probauimus, ac propriis autographis ſubſignauimus. Lutetiæ Pariſiorum, Anno 1593. Calend. Martij.

AVBOVRG. DE CVEILLY.

FEV-ARDENT. ANCELIN.

BIBLIOTHECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE